ati. [illegible]bliothek
Regensburg

~~Cas. 23.~~
Past. 33.

ADM. REVERENDI, ET EXIMII PATRIS

REINERI SASSERATH

IN ALMA UBIORUM UNIVERSITATE
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS DE CONCILIO,
ET PROFESSORIS PUBLICI, EXAMINATORIS
SYNOD. ORD. FR. MIN. S. P. FRANCISCI
CONVENT. EXPROVINCIALIS

NEO-CONFESSARIUS

PRACTICE INSTRUCTUS
AD
EXCIPIENDAS CHRISTI FIDELIUM
CONFESSIONES

BREVI CUM METHODO
ASSISTENDI INFIRMIS ET SACRAMENTA
ILLIS ADMINISTRANDI.

AUGMENTATUS
OPERA

R.P. ANDREÆ SCHOELKENS

MIN. CONVENT. THEOLOGI

SUPERIORUM PERMISSU ET APPROBATIONE

COLONIÆ AGRIPPINÆ
TYPIS ET SUMPTIBUS THOMÆ ODENDALL
M D CC LXXXI.

PLURIMUM
REVERENDO,
ET
AMPLISSIMO
VIRO
AC
DOMINO
D. JOANNI
GERARDO
FEICKUS

AUREI CAPITULI RURALIS

WASSENBERGENSIS

DECANO DIGNISSIMO,

AC

PAROCHO

IN SANCTI

ANTONII AMEREN

ZELOSISSIMO, NEPOTI SUO
COLENDISSIMO

PRÆSENS OPUSCULUM DEDICAT
ET CONSECRAT

FAMULUS INFIMUS

F. ANDREAS SCHOELKENS
MIN. CONV.

CEN-

CENSURA ORDINARII.

OPus hoc didacticum ab Eximio P. REINERO SASSERATH Ord. Min S. Franciſci Conventualium ad practicam inſtitutionem Confeſſariorum in univerſitate Colon. ſedulo compoſitum, novis jam additionibus Theologicis, & methodo infirmis Sacramenta adminiſtrandi à R. P. Andreâ Schoelkens ejuſdem Ordinis Theologo auctum imprimendi facultatem concedo.

JO. GODEFR. KAUFFMANS

S. Th. D. Sigillifer Major & Librorum Cenſor Ordinarius, S. Gereon. & S. Mariæ in Capitolio Canon. mp.

Coloniæ

2. April.

1781.

PRactica instructio, ad formandum, atque in Principiis sanæ Doctrinæ Theologicæ usu ipso firmandum Confessarium, ab Eximio Authore suo P. R. P. Reinero Sasserath, Ord. F. F. Min. Convent. Facultatis nostræ quondam membro, & perpetuo ornamento primùm edita; nunc felice operâ Theologi ejusdem Ordinis adaucta perite nitideque delineatam exhibet Iconem Confessarii, qui ad curandas regendásque cujusvis statûs Pœnitentium animas necessariis qualitatibus probè munitus, uti *sapientibus & insipientibus debitor est*, ita *omnibus omnia fiat, ut omnes lucrifaciat.* Quare lucubrationem istam luce publicâ dignissimam judico.

Coloniæ Agrippinæ 4. Aprilis 1781.

GODEFRIDUS WILHELMUS DANIELS SS. Theol. Doctor & Professor publ. ac Ordin. Sacræ Facultatis p. t. Decanus, Eccl. Coll. ad Ss. Apostolos & B.M.V. ad Gradus Canonicus Capit. mp.

Directo-

Directorium Neo - Confessariorum pro compendiosa juniorum nedum, sed & aliorum curam animarum exercentium instructione à piè defuncto Eximio P. M. Reinero Sasserath Minorita Conventuali editum, atque secundis curis alterius ex eodem Ordine Sacerdotis auctum, à nobis infrascriptis diligenter revisum praelo nedum dignum, sed & singulis animarum regimen obeuntibus ad docendum, arguendum, corripiendum & erudiendum in justitia perutile esse censemus

Coloniae Die 3tiâ Aprilis 1781.

F. THEODOSIUS HENRICI Min. Conv. S. T. Doctor mp.
F. MARCUS FUHR Minor. Conv. S, T. Doctor mp.

DIrectorium hoc Neo-Confessariorum ab Eximio P. Sasserath quondam editum, nunc novis additamentis & methodo infirmis Sacramenta administrandi auctum, practicas veritates apposite & utiliter applicare docet, Confessarios officii sui serio monet, & ad impertiendam fidelibus scientiam Dei & salutis multùm adjuvat, instruit, hortatur. Quare omnino meretur, ut prælo donatum, juniorum & eruditorum Confessariorum sedula manu volvatur, singulisque familiare fiat. Ita censeo

JOANNES PETRUS BREWER
Canon. S. Georgii S. Th. Licent. & Professor in Seminario Archiepiscopali mp.

Coloniæ 5ta Aprilis 1781.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM CONFESSARIUM.

Confessarios plurimos in tanti ponderis negotio cum propriæ conscientiæ summo onere convenientem non adhibere diligentiam (ut pœnitentiæ Sacramentum administrent eo cum fructu, quo deberent, quique in sincerâ vitæ emendatione positus est) ex hoc unico satis liquido constat, quod de tanto confitentium numero tam exiguam emendationem videamus in iis, qui toties multis abhinc annis hoc Sacramentum frequentarunt; licet enim verum sit illud: non est in causa semper medicus, quod ægrotus non sanetur; indubitatum tamen est, ex Confessariorum culpâ & negligentiâ potissimum accidere, quod plurimi in iisdem semper peccatis hæreant: Utinam perpenderent Confessarii salutem æque ac damnationem pœnitentium à bonâ vel malâ confessione, & ut plurimum â Confessario dependere, eique imputari. Verissimum est (quod deplorare solebat seraphica virgo Theresia) *infernum per sacrilegas confessiones impleri, nec diabolum alio laqueo plu-*

)(4 res

res animas ad infernum pertrahere, quam isto, cujus potissima causa est Confessariorum in suo munere peragendo negligentia, *ideo* S. Bern. *non immerito Confessarios rudes vocat* dæmonis negotiatores.

Hinc opus & Deo gratissimum, & præsertim almæ nostræ Provinciæ Coloniensis *Confessariis saluberrimum me facturum sum arbitratus; si practicam instructionem gravissimæ illius functionis certis regulis practicis tum ex diversis probatissimorum Doctorum, Sanctorumque libris, ac judiciis sparsim datis, in unum compendiosè collectis, tum ex iis, quæ sedulâ observatione pro- vel obfuisse deprehenderunt viri in hoc munere versatissimi, conficerem, in eâque optimi Confessarii imaginem, si non omnibus numeris absolutam, certè aliquo modo adumbratam proponerem iis, qui vel munus Confessarii jam actu obeunt, vel ad hoc officium per divinam inspirationem, aut superiorum voluntatem vocabuntur. Longas hic Authorum citationes omittam, ut brevitati studeam, viros doctissimos in hoc genere imitatus, interim nonnisi tales sunt, quos tutò sequi liceat. Casus passim obvios succinctè simul*

&

& solidè resolvam, ut onere (quo in quotidianis ad varios Authorum libros, & tractatus recurreretur) exsolvam. Varia pariter contra communiora peccata addam remedia, præsertim magis obvia & opportuniora; nam Confessarium inter omnia meminisse, necesse est, se non judicem tantum, sed & medicum esse; certe inquit *D. Thomas* opusc. 65. de cautela in confessione: *cum videamus medicos corporum quotidie & legere libros Physicales & medicinales corporum, in quibus docentur curare corpora moritura, magna stultitia est, non legere libros sanctorum medicinales animarum, in quibus docemur curare animas in æternum victuras, majus est damnum unius animæ, quam inenarrabilium corporum. Tu amice lector meo, si placet, labore fruere, meique apud Deum memor esto & vale.*

INDEX

CAPUT I.

De Dignitate Confessarii, & aliis in eo requisitis Pag. 1

CAPUT II.

De scientia & prudentia in Confessario requisitis 6

CAPUT III.

De Agendis à Confessario, dum Confessiones excipere intendit 13

CAPUT IV.

De obligatione & modo interrogandi pœnitentem 21

CAPUT V.

Modus interrogandi de peccato carnis 31

CAPUT VI.

De Prudentiâ Confessarii in adhortando vel monendo pœnitentem 37

CAPUT VII.

Regulæ ulteriores à Confessariis observandæ 43

CA-

CAPUT VIII. Pag.

Quomodo pœnitens ſit diſponendus ad verum de peccatis dolorem, & emendationis propoſitum 47

CAPUT IX.

De Prudentia Confeſſarii circa pueros 52

CAPUT X.

Quomodo procedendum cum adoleſcentibus 57

CAPUT XI.

Quid ſpecialiter obſervandum circa rudes 63

CAPUT XII.

Quomodo fidei myſteria ignorantes ſint inſtruendi 75

CAPUT XIII.

Quid ſpecialiter circa parentes obſervandum 81

CAPUT XIV.

Quid ſpecialiter circa filios & filias-familias obſervandum 86

CAPUT XV.

In quo proponuntur obligationes dominorum & famulorum, & illarum obligationum transgreſſiones 90

CAPUT XVI. Pag.

Instructio pro Confessariis circa conjuges 96

CAPUT XVII.

Quid circa alios pœnitentium status observandum 103

CAPUT XVIII.

Quid agendum cum fatuis, surdis, mutis &c. 121

CAPUT XIX.

De Recidivis & Consuetudinariis 126

CAPUT XX.

Quid agendum cum illis, qui in peccandi occasione versantur 139

CAPUT XXI.

Quid agendum cum illis, qui in odio, & inimicitiâ cum aliis vivunt 150

CAPUT XXII.

In quo ponitur informatio pro casibus, in quibus agitur de obligatione restitutionis 156

CAPUT XXIII.

Quid observandum Confessario circa pœnitentes, qui variis vexantur tentationibus 163

CAPUT XXIV. Pag.

In quo traditur modus agendi cum hæretico, aut Judæo, qui ad Ecclesiam Catholicam admitti desiderat. 168

CAPUT XXV.

Quomodo dirigendi scrupulosi 180

CAPUT XXVI.

De Recidivis, & in occasione peccandi constitutis 195

CAPUT XXVII.

Quomodo agendum cum fatuis, surdis, mutis, & cum illis, qui sunt linguæ ignotæ 221

CAPUT XXVIII.

Quomodo agendum cum illis, qui in odio vivunt, & inimicitiis sunt impliciti 226

CAPUT XXIX.

Quid circa obligatos ad restitutionem observandum. 231

CAPUT XXX.

De Satisfactione Pœnitentibus imponenda 238

CAPUT XXXI. Pag.

Quid agendum Confessario ad infirmum vocato 248

CAPUT XXXII.

Quid incumbat Confessario venienti ad infirmum, loquela & sensibus destitutum 258

CAPUT XXXIII.

Quænam observanda circa communionem infirmis distribuendam 263

CAPUT XXXIV.

Quid observandum sit, dum extrema unctio infirmis est danda 269

CAPUT XXXV.

Quis sit ritus absolutionis generalis pro mortis articulo, & qualiter à Sacramentali differat 274

CAPUT XXXVI.

De Sigillo Sacramentali 280

CAPUT XXXVII.

In quo proponuntur remedia contra peccata capitalia 284

CAPUT XXXVIII. Pag.

In quo traditur instructio pro obtinendis literis dispensationum sacræ pœnitentiariæ 309

CAPUT XXXIX.

In quo traditur instructio obtentas literas dispensationum sacræ pœnitentiariæ exequendi 316

REGULÆ QUÆDAM

A CONFESSARIIS MONIALIUM OBSERVANDÆ.

CAPUT I.

Examinantur ea, quæ in Monialium Confessario specialiter requiruntur 325

CAPUT II.

De voto obedientiæ & hujus obligatione 335

CAPUT III.

De paupertate religiosa, ejusque obligatione 339

CAPUT IV.

De voto castitatis, & ejus obligatione 345

CA-

CAPUT V. Pag.

De clausura Monasteriorum & ejus obligatione 351

CAPUT VI.

Quid observandum circa Moniales scrupulosas & meras imperfectiones confitentes 358

CAPUT VII.

Quid observandum Confessario circa Moniales peccata etiam graviora adferentes 365

CAPUT VIII.

Quid circa absolutionem Monialium à reservatis 370

CAPUT IX.

De obligatione servandi sigillum Sacramentale 375

CAPUT X.

De Confessario Extraordinario 379

CAPUT XI. ET ULTIMUM.

De conversatione externa Confessarii cum Monialibus. 384

INSTRUCTIO PRACTICA.

Assistendi infirmis & Sacramenta illis administrandi.

CAPUT

CAPUT I.

DE
DIGNITATE CONFESSARII ET ALIIS IN EO REQUISITIS.

Confeſſariorum Dignitas tanta eſt, ut hoc munere nihil ſublimius in terris reperiatur teſte *S. Dionyſ. Areop.* in *cæl. Hier. omnium divinarum diviniſſima extat perfectio, Dei cooperatores eſſe in ſalute animarum ad ſuum creatorem.* Illis enim dicitur *Joan.* 20. *quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Unde merito cum Apoſtolo 1. Cor. 3. dicere poſſunt: *Dei adjutores ſumus*, ad infuſionem gratiæ, per quam animæ vita ſpiritualis donatur, tanquam Miniſtri concurrentes; quo tamen excellentius eſt illorum officium, eo pluribus ſubjectum eſt periculis tum propriæ tum alienæ ſalutis, cum nihil facilius, quam quod Sanguini, carni, aut deteſtandæ cupiditati nimium favens Confeſſarius per laxam & indiſcretam conniventiam inani motivo ſubnixus & ſe, & pœnitentem in continuis peccatis ſpe veniæ faciliter impetrandæ hærentem præcipitet in infer-

num, aut è contrario per nimium & gratis exquisitum rigorem fragiles trahat ad desperationem, illisque impossibilem reddat legem ejus, qui dicit *Matth.* 11. *jugum meum suave est*, sicque occasionem præbeat multorum delictorum. Aptè hanc in rem *Gersonius in libro de arte audiendi confessiones*; inquit: *ars artium est regimen animarum*, præsertim dum confessiones audiuntur, quæ ut cum fructu excipiantur,

Requiritur *primo* præter debitam in Sacramenti hujus administratione intentionem saltem virtualem, & jurisdictionem ordinariam vel delegatam, legitima approbatio ab Episcopo impetranda, cum enim Confessarius tanquam Minister non tantum humano modo procedere debeat, sed & gaudeat potestate ferendi sententiam spiritualem circa pœnitentem confessum & subditum, provida Mater Ecclesia præcipit,, ut examinentur vires ingenii, & scientia, ne temere ad audiendas confessiones se ingerant Sacerdotes.

2*do*. Cum dubium non sit, quin is, qui peccato mortali infectus Sacramentum quodlibet conficit, saltem si conficiat ex officio, novo se & gravi scelere obstringat, diligenter observent Confessarii, ne cum peccati mortalis conscientia pœnitentes absolvant, multo minus id audeant, siquâ censurâ Ecclesiasticâ sint ligati; suadenda proinde Confessario in statu disgratiæ existenti prævia confessio, vel saltem curet, ut perfectam eliciat contritionem, quam si circumstantiæ obvenientes impediunt, (ùt dum subito ad Infirmum vocatur) peccati mortalis reatum effugiet,

ubi

ubi illum absque contritione absolverit, imo præsente periculo eundem absolvere tenebitur, quia necessitas absolvendi moram non patitur, & obligationi contritionis eliciendæ postea satisfieri potest.

3tio. Charitas vel maxime necessaria, ut serio & indefessè pœnitentium quærat emendationem, & illis prodesse studeat in tam arduo salutis æternæ negotio, secutus Christi exemplum, qui tanquam Pastor bonus in charitate laborabat reducere oves errantes.

4to, Patientia exerceatur necesse est, qua sciat compati aliorum infirmitatibus, & simul roboretur ad varias molestias sustinendas, quæ in excipiendis confessionibus occurrere solent tum ob casus nonnunquam intricatos, & errandi periculum, tum propter exiguam multorum præparationem, & ingeniorum varietatem, tum ob modum fœdissima peccata proferendi; patientem inprimis animum ostendat Confessarius mulieribus varia impertinentia quandoque adjicientibus; tum & scrupulosis, qui longas sæpe instituunt confessiones, eademque peccata sine causa repetunt; recidivis, in quibus ad perfectionem statim reducendis subinde labor est inanis, utilis tamen erit opera, si unum peccatum post alterum impedire, aut saltem numerum minuere cum effectu doceat, denique rudibus, qui interdum, quanquam satis dispositi videantur, monitionem non capiunt, & ad interrogationes factas obmutescunt, vel ex ingenii stupiditate, vel ex perturbatione; ut ergo omnis inquietudo excludatur,

sœpius cogitet Confessarius, hoc ministerium Deo esse gratissimum, animabus saluberrimum, & sibi ipsi meritorium, *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & cooperiet multitudinem peccatorum* Jac. 5.

5*to.* Absit affectata authoritas, ne pœnitentes fiduciam amittant; sed eluceat paterna & spiritualis gravitas, ut nihil videatur in vultu, nihil appareat in corporis gestu, quod non deceat virum prudentem; vices enim Dei gerit, à quo constitutus est judex in re tanti momenti; vitetur proinde familiaritas, quæ parit contemptum; sœpe, dum amittitur observantia, & reverentia, præsente spirituali medico liberiùs peccatur, malorum quæ illam levitatem sequuntur, experientia testis est, quare discreta sit austeritas, in confessionibus præsertim fœminarum audiendis.

6*to.* Requiritur mansuetudo, ut peccatores exemplo Christi benigne recipiat, paratúsque ad auxilium suppeditandum, desideret onus portare cum pœnitente. Confessario terrente pœnitentes graviora aperire erubescent, vel onus confessionis aggravabitur ad animæ torturam; optimè aget, si afflictos suaviter consoletur, si pusillanimes paternè excitet ad fiduciam in Deo collocandam, peccatores autem obstinatos terreat, proposita divini Judicii severitate, & pœnarum æternarum rigore, si illis ostendat periculum salutis animæ unius & immortalis.

Pru-

Prudentiâ tamen hic agendi modus temperetur, ne asperiori eloquentiâ magis iram, quam zelum à verâ charitate imperatum faciat apparere.

7timo. Fortitudo vel maxime necessaria est, ut in tam sublimi negotio fortiter, constanterque superetur omnis respectus humanus seu acceptio personarum, vitium scilicet illud, quo nexus amicitiæ, aut præcellentia dignitatis attenditur, ad quas debebat minimè reflecti, quo vitio sæpe ministerium Sanctum negligitur, dum cum Christo potius mors est eligenda.

8tava. Humilitas pro fundamento ponatur, hæc docet viribus propriis diffidere, spem omnem collocare in illo, qui dicit: *sine me nihil potestis facere*, & docet peccatores non contemnere, cum & ipse Confessarius eisdem infirmitatibus, quandoque majoribus sit obnoxius. *Cui plus datum est, plus requiretur ab eo.*

Denique hic omittenda non est castitas, ne ulla desideria, occasione turpium, quæ in confessione audiuntur, exsurgant, Sanctum continentiæ donum cum fiduciâ constanti rogetur ab illo, qui dixit: *petite & accipietis*, hic *cor mundum creabit*, conservabitque, si quos ad hoc ministerium vocat, sincero charitatis affectu animas Christo lucrifacere intendant. Hæc monitorum summa esto: ut Theologus ad Confessarii munus aliquando cum fructu obeundum Idoneus efficiatur, non minus studio virtutum, quam scientiæ Theologicæ sciat esse incumbendum, non enim prudenter ferre poterit Judicium de vitio aliquo fu-

giendo, aut ad illud evitandum efficaciter perſuadere, quod ipſe non evitat, ſed amat, nec praxin oſtendet virtutis exercendæ, quam ipſe facit à ſuis moribus alienam, nec cœcus cœco ducatum fidelem præſtabit, Deus per Apoſtolum tales arguit: *in quo alios dijudicas, in eo te ipſum condemnas*

CAPUT II.

DE SCIENTIA ET PRUDENTIA IN CONFESSARIO REQUISITIS.

Confeſſarius quadruplici fungitur munere: 1*mo* eſt Miniſter vices Chriſti gerens, cujus obligatio eſt, ut fideliter, reverenter ac dignè hoc Sacramentum adminiſtrare ſtudeat, & notitiam habeat illorum, quæ communiter ad debitè miniſtrandum requiruntur, ſciat proinde, quod pœnitentia, in quantum eſt *virtus moralis* propter motivum honeſtatis creatæ, ſit dolor mentis de peccatis commiſſis propter Deum offenſum cum propoſito ſerio non amplius peccandi, qui dolor ex motivo non naturali, ſed ſupernaturali conceptus, ad omnia peccata mortalia etiam illa, quæ ante baptiſmum commiſſa ſunt, omnino ſe extendere debet, omnibus peccatoribus eſt neceſſaria neceſſitate medii. In quantum *Sacramentum* perficitur divinitus inſtitutâ abſolutione à peccatis poſt baptiſmum admiſſis, factâ certis verbis cum debita intentione à Sacerdote habente Juriſdictionem prolatis. Effectus illius ſunt 1mò remiſſio peccatorum mortalium ac pœnæ æternæ,

item

item venialium suppositâ legitimâ confessione. 2dò reviviscentia bonorum operum, quæ erant mortificata per delictum grave; *non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* ad Hebr. 6.

2*do.* Qua judex absolutoriâ sententiâ judicans pœnitentem confessum curet necesse est confessionis integritatem etiam materialem, ad quam jus divinum obligat, nisi excuset impotentia aut physica aut moralis, dum pœnitens prudenter timet malum grave confessioni extrinsecum, quale non est infamia confitentis apud solum Confessarium, nec infamia complicis, dum urgente confessionis præcepto alius ignotus haberi nequit. Addi debet pœnitentis dispositio, ad congruam pœnitentiam, tum vindicativam, tum medicinalem subeundam. Intelligere debet omnia confitentis peccata, in quantum moraliter id fieri potest, & præsertim reflectere ad omnia mortalia, quæ à pœnitente proferuntur. Præterea attendere debet, an Jurisdictione polleat tum quoad personam, tum quoad peccata, an hæc per reservationem diœcesanam, aut per censuram restricta sit.

3*tio.* Est Doctor, ideo tenetur attendere, an sciat pœnitens necessaria necessitate medii & præcepti, motiva Fidei, Spei, timoris, charitatis, con- & attritionis, debet Confessarius præterea quâ Doctor scire, quæ sint peccata venialia, quænam mortalia ex genere suo; & unde illorum distinctio numerica & specifica petatur, quænam præter materiæ gravitatem ad mortale requiratur intellectûs advertentia, quinam voluntatis consensus, quales circumstantiæ mutent speciem, quæ

culpa pariat restitutionis obligationem, quæ notitia comparetur ex probatis auctoribus Theologiæ practicæ.

4*to*. Medicus animæ dicitur, propterea debet statum & morbos Spirituales pœnitentis cognoscere, & causas illorum ac radices diligenter investigare, ut queat præscribere medicinas salutiferas, quæ & sanent, & simul impediant relapsum, cum per recidivam, sicut in corpore, ita in animâ status posterior sæpe fiat priore deterior, *vade, noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat*, ait Dominus. Sicut autem medicus omnibus ægrotis eandem non subministrat medicinam, sic nec Confessarius cunctis pœnitentibus idem semper debet applicare remedium, sed prudenter ad conditionem illorum adtendens, modo hanc, modo illam præscribat medicinam, in quo graviter peccant Confessarii illi, qui vix obiter reflectunt, quo medio pœnitentem ab hujus vel illius peccati relapsu præservare securiùs possint, sed illum auditis peccatis etiam gravioribus & multiplicatis cum pœnitentia nequaquam medicinali absolutum dimittunt.

Resolves 1*mò*. Ad validam præcise absolutionem sufficit, qnod Confessarius cognoscat peccata, saltem sub ratione confusa peccatorum, & proferat formam legitimam; ut autem simul licite absolvat, requiritur prædictorum scientia mediocris, nec est obligatio sciendi omnia, quæ de peccatis sciunt doctissimi, & quis eorum, qui doctissimi censentur, promptè casus quosque intricatissimos extricare potest? Sufficit proinde tunc,

tunc, dum circumstantiæ extraordinariæ proponuntur, e. g. in materiâ Justitiæ induci pœnitentem, ut Jurisperitum consulat, paratumque se ostendat ad satisfaciendum, si se obligari compererit, aut suadendum, ut post aliquod tempus ad Confessarium revertatur percepturus, quid facto opus sit, hoc supposito non erit dubium de dispositione sufficiente ad absolutionem.

2do. Juxta locorum, & pœnitentium diversitatem major vel minor exigitur scientia, sic, qui agrestium confessiones excipit in pagis, & oppidis, tanta non indiget notitia, quanta ille, qui in Civitate mercatorum & aliorum hujusmodi confessiones audit, cum hic casus magis intricati obvenire soleant, præcipuè in materiâ Justitiæ, & restitutionis. Dogmatum catholicorum & hæreticorum major notitia requiritur in locis mixtæ Religionis.

3tio. Quod si dubium sit de aliquo ad valorem requisito, differenda est absolutio, donec rei veritas habeatur, ne Sacramentum periculo nullitatis exponatur; si tantum dubitetur, an hoc vel illud sit mortale, aut veniale, quod sæpissimè contingit, non est, cur absolutio differatur; cum tali dubio stat judicium certum de sufficientiâ materiæ, nec requiritur, ut sententiam ferat de singulis, hoc esse certè mortale, illud certè veniale, non enim omnes combinationes circumstantiarum possunt homini etiam doctissimo apparere, ut tale Judicium sit semper certum, quare, dum de Sinceritate confessionis non est ratio dubitandi, validè & licitè absolvit, etsi re ipsâ coram Deo leve sit

ob Imperfectionem consensûs, dum humanitus judicat Confessarius esse mortale; propositum efficax imposterum vitandi prudenter suadebitur, in utrolibet nempè, sive grave, sive leve esse erroneè judicaverit.

4to. Confessarius ignorans illa, quæ scire ex officio tenetur, versatur in continuo peccato mortali, quamdiu scientiam eorum sibi comparare negligit.

5to. Superior, qui sciens volens Idiotæ concedit facultatem confessiones excipiendi, gravis peccati reum se facit; dum per juratos examinatores fallitur, penes hos, non penes illum est culpa: Subditus propriæ ignorantiæ conscius debet non obedire, dum jubetur fungi hoc ministerio; si verò tantum sit dubius, aut anxius, debet discreti Superioris judicio se submittere, imo omnem anxietatem scrupulosam excutere, si per legitimum examen fuerit approbatus, quia sequitur regulam ab Ecclesiâ præscriptam, dum humiliter confidens in Domino suscipit officium, ad quod Idoneus est legitimâ authoritate judicatus; caveat tamen, ne intra tempus approbationis limitatum studii Theologici sedulam continuationem negligat, aut ad illius temporis terminum differat, quæ nonnullorum est praxis pessima. Ipsummet hujus muneris exercitium non potest non admonere, ut intendat Lectioni, sicut Judex sæcularis ex casuum occurrentium varietate admonetur, ut studeat.

6to

6to. Sicut judex sæcularis, advocatus, medicus, chirurgus, ita Confessarius sedulo curare debet, ut Thesis practica benè applicetur, ad Hypothesin prudenter reflectatur in casu particulari: ad exceptiones à regula generali tempus deliberandi necessarium est, dum exigit rei gravitas, ut securè procedatur. Indocti, sicut minus ob Imperitiam dubitant, ita confidentius quæcunque resolvunt, quoslibet absolvunt, & ad laxas Interpretationes divertunt, & ut ait scriptura, *pulvillos sub omni cubito consuunt.*

Denique. Quilibet in hoc suo officio sequatur receptum Ecclesiæ usum, & probatam aliorum prudentum Confessariorum consuetudinem, pro quo generalis hæc S. *August.* & D. *Thomæ* servit regula: Confessarius semper id faciat, quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum, sed ut bene fiat, precibus assiduis à Deo id impetrandum est, quare nimius est illorum rigor, qui omnia & singula nimis subtiliter ad apices Theologicos revocant, quia officium Confessarii per hoc fiet intolerabile, & confessio pœnitenti odiosa propter nimias difficultates, quibus implicabitur. Ex his

Sequitur. Quod supposita debita scientia in Confessario requiratur notitia practica seu prudentiale dictamen mediorum pro variis peccati & peccatoris circumstantiis efficacium, facultas expedita opportunis consiliis pœnitentes adjuvandi, interrogationibus congruis explorandi eorum statum, tum ut pœnitentem, prout genius ejusdem postulare videbitur, nunc benig-

nius

niùs hortetur, nunc aſperiùs arguat, ſeu (ut ait Apoſtolus) *cum Imperio.* Verum quid circa ſententiam probabilem?

Reſp. 1. Ubi eſt materia concernens Sacramenti valorem, vel actionis efficaciam, vel evitationem gravis damni ſive ſpiritualis ſive corporalis, ſtricta eſt obligatio ſequendi ſententiam certam, tutiorem, vel probabiliorem, relicta minus probabili, & minus tuta.

Reſp. 2. Diſcernere in omnibus & ſtatuere, quænam ſententia ſit tantum probabilis, quænam probabilior, difficultas eſt vix ſuperanda, in quo deſudarunt viri ſpectatiſſimi, & adhucdum deſudant Theologi.

Reſp. 3. Si concurrant duæ ſententiæ, quarum una cognoſcitur ſolidè probabilis, altera probabilior, an licitum ſit, ubi agitur de ſola actionis honeſtate, amplecti ſententiam probabilem relicta probabiliore, acerrime diſceptatur inter Doctores & numero & doctrina inſignes, adeo ut hucuſque certa deſuper Eccleſiæ deciſio non habeatur; num interim inconvenientiæ quædam ex hac doctrina: *Licitum eſt ſequi ſententiam probabilem relicta probabiliore, ubi agitur de actionis liceitate*, immediatè ſint natæ, an verò ex abuſu, nimia extenſione, aut etiam ex quæſita quorundam laxitate originem duxerint, prudens Theologus judicabit, ſi fundamenta hujus ſententiæ examinaverit, quæ paſſim apud Theologos reperiuntur.

CAPUT III.

DE AGENDIS à CONFESSARIO, DUM CONFESSIONES EXCIPERE INTENDIT.

Primo. Confeſſarius ovem errantem adminiſtratione hujus Sacramenti reducere volens, brevi quadam oratione ſe præmuniat, pro ſe & pœnitente implorando Spiritus S. aſſiſtentiam hic ſumme neceſſariam juxta illud *Sap.* 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit*; renovandum quoque eſt deſiderium ſalutis animarum, & divini honoris, omni prava intentione, & humano reſpectu ſepoſitis, id quod inſinuat *Apoſtolus Gal.* 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Excitetur denique, & retineatur compaſſionis affectus erga peccatorem, in quo conſideret Dei imaginem pretioſo Chriſti ſanguine redemptam, *totuſque in Deum erectus, cum ipſo opere mentis oculos in hunc finem conjiciat, diligenterque adtendat, ſe eo pergere, ut pœnitentes pretioſiſſimo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſanguine abluat, ac mundet.* S. *Carolus Bor.* Inſtruct. Paſt. parte 2. c. 5.

Secundo. Ante confeſſiones, & maximè in actuali confeſſione, cum varia ſæpe obſcæna narrentur, ſi quandam in ſe ſentiat tentationem, ferventi oratione mentali animum ſuum muniat, medicos corporum hac in re ſecutus, qui viſitantes infectum morbo contagioſo, ſalutari antidoto ſeſe à contagione protegunt, deſides enim circa tale reme-

remedium, & illud haud curantes, ſpiritualem nonnunquam peſtilentiam, quam in aliis curare adlaborant, ipſi contrahunt, breviter hæc oratio abſque verborum multiplicatione perſolvi poteſt, quin obſit attentioni neceſſariæ ad confeſſionem debite audiendam.

Tertio. Animo ſincero ad confeſſiones audiendas accedat, non deterreat etiam intempeſtivè venientes, nec denotet, quod cum faſtidio illorum confeſſiones excipiat, quin potius alacri corde ita ſeſe oſtendat, ut pœnitentes videant, quod propter illorum ſalutem multum ſolatii ex tanto labore concipiat.

Quarto. Incipiens audire confeſſiones, hanc pœnitenti det benedictionem: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, ut bene confitearis peccata tua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen.*

Quinto. In Eccleſiis, non in privatis popularium ædibus confeſſiones audiantur, niſi in caſu neceſſitatis, aut alterius gravis cauſæ, & tunc quidem decenti & aperto, non clauſo loco, præſertim ſi mulieris confeſſio excipiatur, habeantur quoque in Eccleſia ſedes confeſſionales cum cancellis in propatulo poſitæ, ut undique Confeſſarius conſpici poſſit, in quibus tanquam judex ſedeat, dum pœnitentes, cujuscunque dignitatis fuerint, abſolvit, adhibito etiam Lumine, ſi tenebræ fuerint, ſuperpelliceo & Stola, ſi Eccleſiaſticus, ſit amictus.

Sexto

Sexto. Periculosus est mutuus tum Confessarii tum confitentium aspectus, ex quo, si non aliæ inconvenientiæ, saltem distractiones animi oriuntur, quare si nihil fuerit intermedium, strophiolo quodam mundo, aut manu ad maxillam posita aurem præbendo excludatur aspectus, & maxime attactus, quod singulariter observandum apud ægrotos, aut etiam apud illos, qui fœtorem ex ore emittunt, ne os & nares ori applicentur, sicque noxius halitus attrahatur;

Septimo. Cum confessio debeat esse Secreta inter pœnitentem solum, & ipsum Confessarium, moneantur adstantes, ne tam prope accedant, ut confitentis peccata audire possint, quæ monitio potissimum fiat, ubi magnus est pœnitentium confluxus.

Octavo. Laudanda est illorum praxis, qui pœnitentes ignotos interrogant de confessione ultimo facta, hæc enim notitia deservit meliori pœnitentis directioni, & utilis est ad statum confitentis accuratius intelligendum, quia sic deprehendi potest peccandi consuetudo, & peccatorum numerus, indagari quoque potest, an sufficiens adhibita sit diligentia in examine, quæ proportionata sit necessum est.

Nono. Si simplices in loquendo quasi hæreant, benigne animentur, ut absque confusione & magna cum fiducia soli Deo nihil ignoranti, & Sacerdoti ejus loco sedenti omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, aperire incipiant, & si se sufficienter explicare non possint, defectus iste idoneis interrogationibus suppleatur.

Decimo.

Decimo. Quamvis pœnitens per se ipsum peccata enumerans ea rudi quodam modo proferat, tamen idcirco perturbari non debet, quia ex tali confessione facilius cognoscetur, quibus peccatis potissimum sit addictus, si verò superflua quædam enarret, si querelas aut negotia sua exponat, paterne moneatur, necessarium non esse, ut tales circumstantiæ aperiantur, sed sufficere, si peccata secundum speciem & numerum exprimantur, quod fieri potest, quin occasio & causa peccati addatur.

Undecimo. Quidam pro majori peccatorum explicatione nimiis sæpe utuntur verborum ambagibus, hi opportune instruendi sunt, quod confessio simplex debeat esse & recta; & si absque necessitate aliorum peccata attingant, statim admoneantur, non aliena, sed propria peccata clavibus esse subjicienda, nec per confessionem alienorum accusari propria delicta.

Duodecimo. Plures honestatis sæpe Limites excedunt, peccata præsertim carnalia modo nimis crasso & indecenti exponentes, qui de confessionis honestate sunt informandi, inhonesta enim hujusmodi expositio & pœnitenti ipsi, & Confessario potest esse ruinæ spiritualis occasio.

Decimo tertio. Si pœnitens, ut apud simplices quandoque contingit, confessionem instituat hoc modo: non occido, non furtum facio, nulli verbo aut opere injuriam infero &c. breviter instruatur, materiam Sacramenti pœnitentiæ esse omne & solum peccatum, non autem illa, quæ

sic

ſic ſubjiciuntur, cum hæc non vituperio, ſed laude & præmio digna ſint.

Decimo quarto. Caſuum in ſua Diœceſi reſervatorum notitiam habeat Confeſſarius, & ſi inter confitendum ſimilis caſus adferatur à pœnitente, moneatur pœnitens, ut cognito ejus ſtatu vel ille vel Confeſſarius recurrat ad ſuperiorem reſervantem pro facultate abſolvendi à tali caſu, ita tamen caute, ut ſuperior in notitiam pœnitentis non veniat, niſi pœnitens deſuper monitus alteri poteſtatem habenti denuò malit confiteri. Similem autem pœnitentem abſolvere à non reſervatis, & pro reſervatis ad ſuperiorem remittere illicitum eſt & abſolutio nulla.

Decimo quinto. Confeſſio inchoata nullatenus interrumpatur, & ſiquid monendum, ſiquid interrogandum aut corrigendum, in fine id fiet opportunius, quia tales interruptiones factæ ordinarie confundunt pœnitentem & ejus memoriam perturbant, quod tenet, licet ſpeciem etiam mortalium infimam non ſatis intellexerit Confeſſarius, aut in neceſſariis deficiat pœnitens, dummodo prudenter judicet, ſe illorum recordaturum eſſe in fine.

Decimo ſexto. Si tamen plura neceſſario interroganda concurrant, & Confeſſarius ſciat ſe in fine illorum ſolere obliviſci, interrogatio non differatur, ſed ſtatim fiat, ne poſtea pœnitens ad moleſtam omnium peccatorum repetitionem cogatur, cum ejuſmodi quæſtiones etiam ſine pœnitentis perturbatione fieri poſſint, ſi prius au-

diat Confessarius, quodnam peccatum proferat pœnitens post illud, in quo se sufficienter non explicat, & hoc memoriâ retineat, ut postea eo facilius illum reducere queat ad continuandam confessionem, pro quo ponatur aliquis sic confitens: commisi furta, graviter detraxi, in die festo Missam semel neglexi, quo audito, inquirat Confessarius circumstantias & numerum furtorum, quibus & coram quot personis detraxerit, his sufficienter examinatis, inducat pœnitentem suaviter, ut pergat in illo, quod dixerat de Missa neglecta, sicque alleviabitur in enarratione consueta peccatorum.

Decimo septimo. Interpositæ hujusmodi interrogationes summopere expediunt, quando materia turpis aut obscæna adfertur, ut præpediatur illius repetitio, cujus confessio de se satis gravis pœnitenti, paterna tamen in hisce sit correctio, & maxime si delicta enormia aperiantur, ut ex correptione sequatur emendatio.

Decimo octavo. Periculosum, adeoque fugiendum, & pœnitenti sæpe nocivum est, si sub confessione delictorum enormium externa usque adeo Confessarius det signa admirationis vel indignationis, aut importunam, uno vel altero peccato audito, & asperam adhibeat reprehensionem, ad quid enim similia deserviunt? nisi ut adstantibus & videntibus ingeratur suspicio gravioris peccati, aut Pœnitens nimium deterritus omittat alia, quæ de necessitate exprimenda forent, ad finem proinde differatur ista reprehensio etiam necessaria.

Deci-

Decimonono. Cum Confessarius proportionatam peccatis imponere teneatur satisfactionem, cavendum sedulo, ne sub confessione distrahatur aut prorsus peccatorum obliviscatur, & si nihil de quopiam peccato perceperit, statim desuper fiat interrogatio, si tamen aliquid intellexerit, interrogatio differri poterit ad finem confessionis, submissa interim voce quæstiones istæ sicut & monitiones fiant, ut evitetur periculum violandi sigillum confessionis.

Vigesimo. Ad quietandam confitentium conscientiam, tempus illis concedatur etiam anxietates proponendi, in quo maxime errant illi, qui nimis importune pœnitentes urgent, ut brevissime omnia exponant, tantum solliciti, si multos audiverint, melius enim est, ut prudentum omnium fert judicium, paucos audire bene, quam multos perfunctorie & sine debito fructu; cum mora præcipue & judicii maturitate primis annis confessiones audiantur, ut Confessarius paulatim exercitatus officio suo rite satisfacere possit; ad pœnitentium tamen conditionem reflectat, adeo ut sæpius & recte confitentes diu non sint detinendi, sed audita confessione pœnitentia salutaris injungatur & absolvantur, nisi remedium aliquod ad tollendos quosdam defectus, aut exhortatio brevis adhibenda esse videatur.

Vigesimo primo. Si in pœnitente defectus aliqui in moribus, gestibus & similibus deprehendantur, moneat, ut cogitet se coram Deo altissimo esse constitutum, à quo summa cum humilitate peccatorum remissio postulari debet, ad

exemplum Publicani, qui peccatorum ſuorum memor, ne oculos quidem ad cœlum attollere audebat.

Vigeſimo ſecundo. Fugiant omni ſtudio in confeſſionibus excipiendis, quidquid exoticum eſt & ſingularitatem ſapit, ne pœnitentium fiduciam amittant, ſed ſedulo aliis peritis Confeſſariis ſe conformare nitantur.

Vigeſimo tertio. Quamvis utile ſæpe ſit, ut pœnitens eundem ſervet Confeſſarium, hic tamen non adſtringat quoslibet confitentes, ut ſibi ſoli confiteantur, ſed confeſſionis libertatem illis relinquat, ne nimium in tanto negotio adſtricti conſcientiæ ſolatio deſtituantur.

Denique. Non inquirant curioſius in ſtatum temporalem pœnitentis, nec muneribus delectentur, utrumque periculoſiſſimum eſt, qui non animam, ſed lanam quærunt, deviant à fine confeſſionis, & lucro temporali intenti à Scopo officii ſui malitiosè deficiunt, & ſpiritualem confitentis profectum negligunt, ut experientia docuit. Caveant, ne confeſſum diſcedentem fixo aſpectu proſequantur, quaſi illum noſcere volentes, per hoc enim malam ingerunt circumſtantibus ſuſpicionem.

CAPUT

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONE ET MODO INTERROGANDI POENITENTEM.

Primo. Siquis ex oblivione, ignorantia, vel negligentia omittat aliquid ad validam & fructuosam confessionem necessarium, ùt si species & numerus peccatorum non exprimantur, Confessarius id advertens graviter peccat, si ex negligentia vel timore humano aut ex alia causa insufficiente prætermittat interrogationes, quas necessarias esse judicaverit, ipse enim curare debet, ut confessio rite fiat. Legitur *in cap. omnis* 12. de pœnit. & remiss. *Sacerdos sit discretus. . . diligenter inquirens & peccatoris & peccati circumstantias.* Absterrere non debet persona confitentis, cum omnes eâdem lege teneantur.

Secundo. Etiam Religiosi, Clerici, & alii in Theologia versati interrogandi sunt, si manifestum fuerit omitti aliquid, vel non discerni satis id, quod necessarium est; si tamen talis pœnitens in aliis peccatis exprimat numerum & circumstantias, & in uno illa omittat, communiter præsumi potest, quod peccatum committens ad talem circumstantiam non adverterit, vel numerum non sciat, aut saltem non apprehenderit mortale.

Tertio. Circa rudes ordinaria est præsumptio ex modo confitendi nota, quod sufficientem in examinanda conscientia diligentiam non adhibue-

rint, adeoque examinandi sunt, prout illud opportunum judicabit prudens Confessarius; præsumi potest, quod rite sese examinaverint, & si in plerisque addant numerum & circumstantias, cum fundamento infertur, quod sufficienter sint instructi etiam circa reliqua, contrarium autem est, si omnia sine ordine, numero & circumstantiis proferant.

Quarto. Pœnitens aperiens malas cogitationes & delectationem in illis, instruendus ordinarie est & interrogandus, instruendus quidem, quod prima cogitatio de objecto ùt ùt malo peccaminosa non sit, nisi intellectui objectum secundùm se malum, quod per phantasiam, aut sensum externum subito sine anteriori sua culpa repræsentatum est, apprehendenti accedat consensus voluntatis, hic si feratur in objectum malum ab intellectu repræsentatum, complacentia simplex est; si vero ita adhæreat tali objecto, ut cogitans rem repræsentatam perficere intendat, desiderium efficax audit, cumque cogitationes pro diversitate objecti diversæ sint, interrogandus, quales fuerint cogitationes, & qualis delectatio, solæ enim præsumptiones non sufficiunt, quando interrogatione interposita certitudo potest haberi.

Quinto. Excessus evitari debet, ne nimiis interrogationibus torqueantur pœnitentes, & impertinentibus, quando inquiruntur illa, quæ ad peccati explicationem non conducunt, ùt, quis sit pœnitens, quis peccati complex, ubi & cui cohabitet, an dives sit, an pauper &c. in hisce enim maximam ostendunt imprudentiam Confes-

sarii,

fessarii, & incidunt, in judicium Giezi pueri Elisæi, & lepra, quam gratis curare non intendunt, iis adhærere incipiet.

Sexto. Prudenter etiam inquiruntur circumstantiæ notabiliter aggravantes, quæ tales sunt, si actio sit circa materiam numero, pondere vel mensura constantem, & excessus secundum se constituat malitiam gravem; aut si adtendatur ad actionis intensionem vel durationem, circumstantia notabiliter erit aggravans, E. g. si actio multo longiori tempore duret, quam alias durare solet, si tamen in his aperiendis maximam ostendat pœnitens difficultatem, importune & nimium torquendus non est.

Septimo. Ad interrogationes opportune instituendas conducit judicium naturale, fiant igitur convenienter ad cujusvis statum, sexum, ætatem, naturam, negotiationem &c. magis enim interrogandus, qui raro, quam qui sæpius confitetur, magis rudiores quam docti, magis sani quam ægroti, ut dictat ipsum judicium naturale.

Octavo. Circa pœnitentes rudes sequentes ordinarie præmittuntur quæstiones: quando ultimo sit confessus, an nihil scienter omiserit in prioribus confessionibus, an pœnitentiam injunctam impleverit, & si tunc ipse pœnitens etiam rudis peccata sua confiteri incipiat, non perturbetur, sed patienter Confessarius audiat ejus confessionem, qua finita, generaliter interroget, annon aliquid sit, quod conscientiam illius angat, & adhibita salutari admonitione de peccatis imposte-

rum fugiendis, postquam pœnitentem ad dolorem & propositum excitavit, absolvat.

Nono. Octo modis speciem diversam habentibus peccari potest: *primo.* Delectatione morosa, sibi complacendo in objecto rationi dissono. *Secundo.* Desiderio illud committendi, saltem si potuisset, aut aliud extrinsecum non obstitisset. *Tertio.* Actu illud committendo. *Quarto.* Verbo vel aliis signis præbendo occasionem scandali circa hoc vel illud delictum. *Quinto.* Positive per actionem realem inducendo alium ad peccatum. *Sexto.* Sceleri alterius cooperando. *Septimo.* Crimen proximi non impediendo, dum debet seu ex justitiâ, seu ex charitate. *Octavo.* Approbando seu laudando peccatum ab alio commissum.

Decimo. Ordo est congruus, si initium ducatur à præceptis Decalogi, maxime ab illis, in quibus homines talis conditionis deficere solent. Si cum personis, quæ rarò ad confitendum accedunt, agatur, utile erit, etiam de præceptis Ecclesiæ, & per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere; de lubricis ita caute interrogetur, ut, si pœnitens illa commiserit, fateatur, sin minus, non addiscat.

Undecimo. Cum etiam extraordinarii aliquoties eventus habeantur, Peccati speciem, si à Pœnitente advertantur, mutantes, adeoque in confessione explicandi, prudentiæ Confessarii relinquitur, an de illis interrogatio fieri debeat, ut si adferantur tactus proprii corporis, aut inusitatus situs in usu Matrimonii, ubi existente præsump-

tione

tione fundata, quam aliquando facit ipsa pœnitentis confessio, de effusione seminis aut ejus periculo interrogare poterit Confessarius.

Duodecimo. Arguendi sunt illi, qui tales subinde intermiscent quæstiones, quæ occasionem ridendi suppeditant pœnitenti, & ansam desuper postea jocandi, aut, quod deterius est, sibi ipsis, aut pœnitenti causant scandalum. Evitentur etiam interrogationes curiosæ de aliorum dictis & factis, quia per hujusmodi inquisitiones timoratis datur materia malæ suspicionis, temerarii judicii, detractionis, & secretorum revelationis in grave aliorum damnum.

Decimo tertio. Cum supponi debeat quemlibet officio suo satisfecisse, & delicta non præsumantur, orto dubio de sufficienti prioris Confessarii examine, inferendum est, quod partes officii sui impleverit, nisi ex ipsâ confessione animadvertatur aliquas confessiones præcedentes fuisse invalidas, adeóque repetendas, tunc enim pœnitentem desuper monendum esse nemo dubitat, ne frustretur medio ad obtinendam peccatorum remissionem necessario.

Decimo quarto. Si Confessarius sciat pœnitentem commisisse peccatum mortale, quod tamen jam reticet, imo etiam interrogatus negare pergit, absolvi non potest, quia Confessarius judicare nequit observatam esse confessionis integritatem requisitam, si sciat pœnitentem ab illo tempore confessum non fuisse; aliter tamen judicandum est, si fundata adsit præsumptio, quod peccatum illud Sacramentaliter fuerit alteri manifesta-

tum, aut quod pœnitens malitiæ gravitatem non apprehenderit, in quo circumſpecta ſit Confeſſarii prudentia, ſaltem ſi confitentis conſcientia ignota fuerit.

Decimo quinto. Quod ſi ſciat peccatum ex ſola confeſſione complicis, ut ſæpe accidere ſolet in Sponſis ſucceſſive confitentibus, dum ſponſus manifeſtat tactus impuros, aut fornicationes cum ſponſa à paſchate v. g. commiſſas, & hæc ſtatim poſt ſponſum confitens indicat ſe in paſchate ultimò confeſſam, nullam autem præfatorum actuum mentionem facit, ſciens hæc eſſe delicta gravia, maxima tunc opus eſt in interrogando cautela; pro qua conſul. Theologia Ex. P. Authoris de pœnit. num. 197. interim

Decimo ſexto. Confeſſarius benigne doceat, frequenter à deſponſatis errari falſa opinione, quod ſponſalia faciant multa licita, quæ alias non deſponſatis ſunt prohibita, & quod coram Deo jam æquipolleant conjugatis; ſuſcitata humili docilitate, opportunum erit oſtendere, qua ſponſis opus ſit cautela, ne maledictionem mereantur pro benedictione, & quæ præparatio ſit congrua ad imitationem Tobiæ orationi hunc in finem incumbentis, præſertim cum per Chriſtum matrimonio dignitas Sacramenti acceſſerit. Doceantur etiam ſedulo fugere occaſionem proximam, præcipue ſiquid mali ſæpe factum fuerit, imo inſtruantur, quod juxta Eccleſiæ doctrinam (ex propoſitione damnata) interrogatio ſuper conſuetudine non ſit vitioſa curioſitas.

Deci-

Decimo ſeptimo. Sunt aliqui, qui vel ſub ipſa confeſſione, vel ſub fine ejuſdem ſuſpiria quædam, & gemitus produnt, ſi conſtet pœnitentem huic mori aſſueviſſe, non turbetur, ſi autem angorem, vel perplexitatem quandam indicare videatur, Confeſſarius ſub finem petat, an pœnitens habeat aliquid conſcientiam gravans, propoſita inſtructione, quod omnia ſincere, & cum fiduciâ aperiri debeant; eadem interrogatio generaliter cum fructu fieri poteſt circa rudiores, valet quoque pro caſu antepoſito de ſponſis. Et ſi inveniatur, quod pœnitens grave aliquod peccatum ex inſufficienti causâ reticere voluerit, excitare illum debet Confeſſarius, ut ſimul de perverſa hac voluntate dolorem eliciat.

Decimo octavo. Peccata juxta S. Conc. Trid. exprimenda ſunt, prout extant in conſcientia, dubia ſcil. ùt dubia, certa ùt certa, adeo ut contrarium faciens peccet mortaliter, niſi ſimplicitas excuſet, ac proinde pœnitentes monendi, ut ad interrogata integre & fideliter reſpondeant, & docendi, non valere praxin illorum, qui obligationi ſuæ ſe exacte ſatisfeciſſe judicant, dum plus quàm fecerunt, aut peccata, de quibus dubitant, an commiſerint, ut certa clavibus ſubjiciunt, ſicut debitor pecuniæ certius ſatisfacit plus ſolvendo, aut quantitatem dubiam ſolvendo tanquam certam, aut certam tanquam dubiam: in hoc enim errant, quia judex fori Sacramentalis non informatur debitè, niſi confeſſio fiat conformiter S. Concilio, & peccata aperiantur, prout ſunt in conſcientia.

Deci-

Decimo nono. Signum quandoque insufficientis examinis, aut culpabilis ignorantiæ est in illis, qui confiteri solent, se in hoc vel illo sæpius aut aliquoties deliquisse graviter. Numerus peccatorum gravium exprimi debet, & quidem absolute vel sub dubio, prout conscientia bene regulata dictaverit, adeo ut sciens se sexies blasphemasse cum advertentia ad malitiæ gravitatem sacrilegam faciat confessionem, si dicat: *circiter sexies blasphemavi*, habet enim, ùt supponitur, determinati illius numeri scientiam certam.

Vigesimo. Solennes illæ phrases : *plus minus, circiter*, admitti communiter non debent, si adferantur peccata graviora, licet pœnitentes dicant, se taliter semper esse confessos, vel enim sciverunt numerum illorum delictorum adjiciendum esse, vel hoc ignoraverunt ? si sciverint, contra requisitam confessionis integritatem egerunt, si ignoraverint; videant, annon plura alia nesciant ex neglectu Catechismi, & deinceps hic error fugiatur.

Vigesimo primo. Major est difficultas circa illos, qui longo tempore non confessi, in continua peccandi consuetudine vixerunt, his enim moraliter est impossibile distinctum delictorum numerum assignare, quorum status ut ad formandum Sacramentale judicium rite noscatur, inquirendum est tempus ultimæ confessionis, & quoties in die, hebdomada aut mense in tale peccatum se incidisse opinentur factâ reflexione ad occasiones, hoc si manivestaverint, cum sincerâ declaratione promptissimæ voluntatis, si numerum

certum

certum nôſſent, debitè aperiendi, concludet Confeſſarius, quoad numerum, ſicut poteſt, & debet.

Vigeſimo ſecundo. Cavendum hic, ne cum tædio pœnitentis numerus peccatorum inquiratur, ſi talis ex confeſſione facta moraliter æſtimari poſſit, circa peccata tamen enormia, & quæ rarius fiunt, facilius numerum determinabit pœnitens, unde ſi ſordibus peccatorum carnalium immerſus confiteatur, interrogetur, *quoties cum perſona Deo ſacra, cum conſanguinea aut conjugata* peccaverit. In ejuſmodi interrogationibus, ſciendum eſt, quod plures actus, ſi ex natura ſua adſumantur ad unum totum complendum, conſtituant unum moraliter peccatum in ordine ad confeſſionem, ſic verba impudica, oſcula, & tactus ſi prope antecedunt, aut ſtatim ſequuntur, aut concomitantur, ſufficienter exprimuntur in actu principali copulæ, adeoque hunc exprimere ſufficit.

Vigeſimo tertio. Rudes præſertim raro confitentes, ſi ad Confeſſarii interrogationem determinatum aſſignant numerum; ſæpe meris conjecturis ducuntur, quia tacere erubeſcunt, vel à moleſta Confeſſarii quæſtione ſe expedire intendunt, quare melius eſt, ſi intellecto modo vivendi, & frequentia peccandi, aliquem numerum conjiciat Confeſſarius, adtendens etiam ad occaſiones ordinarias, & extraordinarias, quæ magis, minúſve frequenter in lapſum præcipitant. Providè autem curet Confeſſarius, ut anima pœnitentis promptam habeat voluntatem numerum accuratum pandendi, ſi eum ſcire poſſet.

Vige-

Vigesimo quarto. Ut in numero inquirendo conveniatur, poterit Confessarius interrogando proponere majorem, ut eo magis facilitetur pœnitens, vel aliquid detrahendo, vel parùm adjiciendo, sicque minor habebitur confitentis erubescentia.

Denique. Qui fideliter (postquam invocatâ Spiritûs Sancti gratiâ diligenter conscientiam discussit) vitæ suæ statum, consuetudinem & quamdiu certis in peccatis hæserit, confitendo aperuit, non tenetur postea confessionem repetere; quamvis postea in particulari magis, distincta hujus vel illius peccati memoria, aut quarundam notabilium circumstantiarum loci, temporis, sociorum, aut complicum reminiscentia occurrat, quia in confessione isto modo facta satis fuerunt intellecta delicta illa à Confessario, qui prudens de statu pœnitentis formare judicium, adeóque ab omnibus directè absolvere poterat. Si tamen pœnitens ad quietandam conscientiam similia in sequenti confessione clarius exponere incipiat, cum patientia audiatur. Si sæpius in sequentibus confessionibus repetere illa peccata pergat, jam hanc, jam illam circumstantiam omissam fuisse prætendens, moneat, ut penitus ab illâ operosâ indagine abstineat, tum quia novæ illæ repræsentationes novorum peccatorum periculum adferunt, tum quia facto antea examine, & observato Confessarii consilio, & præstitis, quæ tunc facere jussus est, operibus satisfactoriis, christianâ cum fiducia potest tentatori inquietanti respondere; feci, quod juxta S. Ecclesiæ doctrinam facere debui, sic scrupulosis anxieta-

xieta-

xietatibus occurretur, & ad tranquillius ultimi agonis certamen anima feliciter præparabitur. Cum frequentior in materia carnis ſoleat eſſe lapſus, & homines hiſce peccatis dediti vel ex pudore, vel ex timore, ne ſine abſolutione dimittantur, illa ſæpe diſſimulare ſtudeant, opportunum duxi, ſi ſubjiciatur ſequens.

CAPUT V.

MODUS INTERROGANDI DE PECCATO CARNIS.

Primo. IN peccatis Luxuriæ, juxta monitum S. Caroli Borr. ſummam animi ſolertiam cum pari circumſpectione verborum debet uſurpare Confeſſarius, itaque cum illis ſpeciem peccati, & circumſtantias, quæ multum prægravant illud, ſatis intellexerit, ulterius nihil ſtudeat inquirere, ne forte, quæ prius ignorabant, doceat pœnitentes, ubi præſtat aliquando peccatum minus intelligere, quam ſibi aut pœnitenti ſcandalum cauſare, imo curioſæ iſtæ & inutiles quæſtiones in hac materia excitant malam ſæpe adverſus ipſum Confeſſarium ſuſpicionem, aut ſaltem alii Confeſſarii, qui non neceſſaria inquiſita fuiſſe, ex ſequentibus confeſſionibus pœnitentis comperient, maxime offendentur.

Secundo. Pœnitentes præcipue rudiores, ſi confiteantur carnis tentationes, interrogandi ſunt, quid per tentationes illas intelligant, ſæpe enim opera carnis externe poſita, aut quæ libidini ali-

alienæ per carnis fragilitatem turpiter indulſerunt, ſub nomine tentationis exponunt, in quo falluntur ferè, ſicut criminis actu perpetrati reus ſuppreſſo facto meri ſe periculi non vitati reum incuſat.

Tertio, Honeſtiores, qui ſimiles tentationes adferunt, interrogandi ſunt, an iiſdem conſentiendo ſuccubuerint, & unde iſtæ proveniant. Sæpe illas animi antea peccatorum ſordibus illiti, ſed pœnitentiâ purgati inclinationes permittit Deus ad humilitatis conſervationem, ut victoria fiat illuſtrior. Quanquam illæ & à malo ſint, & ad malum faciant propendere, non tamen peccata ſunt, nec pœnam merentur, ſed potius meritis addunt incrementa per gratiam vires confortantem, Ideo imploranda eſt continuò gratia divina, ut debite reſiſtendo illas ſuperare queat. Si à dœmone proveniant, fortiter in fide reſiſtatur. Cogitet anima: quomodo poſſum hoc malum facere in conſpectu Dei omnia videntis, qui ſeveriſſimus erit vitæ peractæ judex? nec animum deprimat tentationum frequentia, quia omnia poſſumus per gratiam Dei, nos confortantem.

Quarto. Adoleſcentes circa generalia interrogari debent, an in ſocietatibus famulorum aut ſociorum fuerint, an in illis quidquam mali viderint, vel audiverint, an verba turpia audiendo & ipſi ſermones ejuſmodi protulerint, aut malas deſuper cogitationes habuerint, annon deſideraverint peccare, ſi potuiſſent vel auſi fuiſſent, an quidquam inhoneſti viderint, aut tetigerint, quæ ſi fateantur, caute interrogentur, annon forte aliquid pejus fecerint, vel per ſe,

vel

vel cum alia persona, ut deprehendatur, an secuta fuerit pollutio, quæ etiam in adolescentibus solet esse frequens, adeoque hac secuta merito quæritur, quis induxerit ad tale peccatum, ob scandalum datum; si communiora hæc negentur, ad particularia descendendum non est.

Quinto. Si pœnitens se accuset de cogitationibus turpibus, interrogetur, an cum voluntaria delectatione illis inhæserit, hoc si neget, non est cur ulterius examinetur; si autem dicat quod in illis senserit delectationem, quæratur an illam voluntarie admiserit, an verò malitiam agnoscens statim illi restiterit, non enim nocet sensus, ubi deest consensus, quin potius ex debita renitentia meritum nascitur; si tamen voluntarie hæc admissa fuerit, eaque venerea de objecto contra castitatem, pœnitens exprimere debet, nisi aliunde constet, an liber sit, an voto obstrictus, addere quoque debet numerum, & speciem, aliud enim est specie peccatum, delectari de fornicatione, quàm de incestu, adulterio &c. item alio opus est judicio Confessarii, si utrimque votum, aut ligamen, quàm si ex unà tantùm parte, dum ad hæc reflexio moralis fuit in mente, aut saltem potuit, ac debuit reflecti ad specialem turpitudinem.

Sexto. Si durante illa delectatione quidquam legi divinæ aut naturali adversum facere voluerit, exponendum est quid agere desideraverit, & cum quibus personis, desideria enim tendunt in objecta ùt à parte rei ponenda, adeoque à circumstantiis cognitis non præscinditur, unde si

desideraverit peccare carnaliter cum conjugata, desiderium hoc contraxit malitiam adulterii, *quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. cap. Etsi reipsa per inefficacem displicentiam optaverit, ut abesset vinculum voti, aut ligaminis Matrimonialis.

Septimo. Multi confitentur, quod quidquam illiciti adspexerint; ex quibus inquirendum, an aspectus hujusmodi voluntarius fuerit, & quidem objecti de se turpis absque rationabili causa, aut an voluntarie admissa delectatio venerea, in quo casu interrogandum, quoties id factum, cum similis aspectus habeat rationem culpæ gravioris, si autem prorsus fortuito, aut ex honesto fine simile quid viderit, quin se temerariâ curiositate exposuerit periculo interioris consensûs, à peccato est immunis, e. g. Medicus, Parochus assistens morienti puerperæ.

Octavo. Si ex causa secutus fuerit actus turpis, v. g. pollutio, videndum quæ causa sit posita, an *per se efficax*, quæ ex natura sua ordinatur ad talem effectum, qualis est cogitatio practica vivacior de venereis, tactus obscænus ex deliberatâ sensualitate, ubi effectus secutus ad culpam gravem imputatur; an *inefficax*, quæ quidem ordinatur ad effectum, sed in illum notabiliter non influit, talis est tactus ex indeliberatâ sensualitate, aspectus curiosus alicujus fœminæ non diuturnus, compressio manuum ejus, hanc causam qui ponit, delectatio inde secuta, non imputatur illi nisi ad culpam levem, nisi experientiâ

sciret,

sciret, se frequenter consentire, dum tales actiones ponit. Generatim dictat amor castitatis, quod docet Spiritûs sancti oraculum : *Bonum est homini mulierem non tangere.*

Nono. Pœnitentis de verbis turpibus se accusantis intentio inquiri debet, modusque proferendi. si enim discursus turpes instituantur animo aliam personam inducendi ad actum turpem v. g. ad concubitum, exponenda est personæ qualitas, sicut & si verba valde turpia fuerint coram aliis prolata, explicandum est, quot & quales fuerint personæ, coram quibus discursus habitus, quia in hoc casu præsens est periculum scandali; si dicatur.: erant conjugati, aut similis sexus, & his dari posse scandalum nemo negabit, ordinarie adest periculum, quare turpia loquentes sunt dehortandi, *væ* enim *homini per quem scandalum venit.*

Decimo. Si puella per copulam carnalem se esse lapsam confiteatur, inquirenda non est circumstantia virginitatis, cum hæc peccati speciem non mutet, interrogari tamen poterit, annon ex tali actu propriam infamiam & prostitutionem futuram timeat, quia similes positive quandoque & voluntarie generationem impediunt, adeoque peccatum contra naturam committunt. Eodem modo examinentur qui de incestu sese accusant, gradus tamen consanguinitatis v. g. non inquiratur saltem ordinarie, quia raro id contingit in primo gradu, reliqui autem speciem moralem non mutant, ùt docent plures.

Undecimo. Ad habendam veritatem, ubi prudens fuerit ſuſpicio, an vir mulieri, aut mulier Viro injuſte negaverit debitum, quærendum eſt, an in pace & mutuo amore vivant, & ſi maritus fuerit, an fidem ſervet uxori, ſi uxor, an marito debitam ſemper præſtet obedientiam, hujusmodi enim quæſtiones patefacient, ſi nocentes hac in re fuerint.

Duodecimo. Voces iſtæ: *Luxurioſus fui*, *Luxurioſe egi*, ſunt nimis generales, quare pœnitenti taliter confitenti dicendum, quod Luxurioſus quis eſſe poſſit cogitatione, verbo, & opere, Luxurioſe quoque & agere poſſumus nobiſcum ipſis, aut cum aliis, cum eodem etiam, vel cum diverſo ſexu, ut ergo ſpecifica deprehendatur malitia, magis ſe explicare debebit pœnitens.

Decimo tertio. Qui tactus inhoneſtos proprii corporis proponunt, non ſtatim interrogandi ſunt de effuſione ſeminis, ne, præſertim ſi juvenes ſint, inſtruantur in illo, quod forte ignorant, ſed examinandi ſunt, an in hujuſmodi tactibus delectationem quæſiverint, aut illam ſenſerint reipſa, & qualis illa fuerit, num mere ſenſitiva, aut etiam venerea, & ex quo fine illa fuerit quæſita, ubi, ſi culpa hujus peccati inveniatur, paterne admoneatur pœnitens, ut ab hujuſmodi peccatis maxime nocivis abſtineat, & cogitet, Deum ubique præſentem hiſce delictis graviter offendi.

Decimo quarto. Siquis dicat. ſe ſæpius corporis pollutionem admiſiſſe ex ignorantia illam eſſe pec-

peccatum, non judicet Confeſſarius hanc ignorantiam fuiſſe invincibilem, ſed inquirat, annon alicujus malitiæ ſuſpicio inciderit, hanc adfuiſſe quis ſuſpicatur? ſi fateatur pœnitens, quod actum iſtum coram hominibus probis committere auſus non fuiſſet, ac proinde ignorantia iſta vincibilis fuit, adeoque culpabilis.

Decimo quinto. Verecundia externa quandoque retrahit hominem ab integra peccatorum carnalium confeſſione, quod ſi advertit Confeſſarius, benigne ſuggerat pœnitenti, quod inutilis ſit & nociva hujuſmodi erubeſcentia, quæ ſi à peccatis non abſterruit, nec à diſtincta illorum confeſſione deterrere debet; conſultum etiam eſt, ut peccatorum carnalium conſuetudo aut occaſio inveſtigetur, de quo infra agetur.

CAPUT VI.

DE PRUDENTIA CONFESSARII IN ADHORTANDO VEL MONENDO POENITENTEM.

FActis ùt ſupra interrogationibus, & cognito pœnitentis ſtatu, prudenter interior animi ejuſdem præparatio inquiratur, adeo ut universi, quantum in ſe eſt, eum mentis dolorem, qui jure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma ac conſtanti voluntate, tum pro præteritis peccatis ſatisfaciendi, tum vitam impoſterum emendandi, videatur præterea,

num pœnitens circa aliquid ſit monendus. Pro quo ſequentia reſolvuntur.

Primo. Confeſſarius qua Pater ſpiritualis ſuggerat pœnitenti generalia virtutis obtinendæ media, inter quæ eſt magna virtutis æſtimatio, virtus enim eſt ſubſtantia vitæ Chriſtianæ, & rationalis naturæ dignitas; excitet deinde ardens in pœnitente virtutis deſiderium, *Beati* enim, *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*, & ne in via virtutis deficiant pœnitentes, ſuadendum ut operentur ex memoria Dei præſentis, & omnia etiam ſecreta cordis noſtri intuentis: *ambula coram me, & eſto perfectus.*

Secundo. Admonitio talis ſit, ut non videatur potius eſſe dura quædam reprehenſio, præſertim ſi pœnitentes ſint magnæ authoritatis aut timidioris conſcientiæ, hi enim vel animum facile abjiciunt, vel reprehenſionem ſine impatientia non excipiunt, aliud tamen eſt, ſi pœnitens durioris ſit naturæ, aut parum de ſalute propria ſollicitus, ubi gravior admonitio adhiberi debet, ita tamen ut intelligatur, illam ex amore ſalutis procedere.

Tertio. Adhortationes hujuſmodi longiores ſint aut breviores, prout id neceſſitas, diſpoſitio, vel pœnitentis conditio exegerit; ſi tamen ſpecialis utilitas non deprehendatur, qualis non eſt in illis, qui ſæpius præmiſſa neceſſaria diſpoſitione confiteri ſolent, aut qui ſcientes obligationem, illi convenienter agere ſupponuntur,

tur, admonitio omitti poteſt, niſi conſuetudo peccandi aut occaſio aliud poſtulaverit.

Quarto. Pueri confitentes non ſunt durius increpandi, ne à confeſſione deterreantur, ſed benigna ſit neceſſe eſt, & brevis reſpectu illorum admonitio, ut in bonis actibus perſeverent, & ſedulo ſtudeant abſtinere ab illis peccatis, quibus magis obnoxii exiſtunt, quod ut facilius obtineatur, admonendi ſunt, ut per continuatam orationem auxilium divinum implorent.

Quinto. Cum ex vehementi dolore etiam in illis, qui peccatis gravibus obnoxii ſunt, colligi poſſit diſpoſitio, & animus peccata in futuro emendandi, habentes ſimilem dolorem longis adhortationibus non ſunt gravandi, ſed potius paterne animandi, ut interveniente gratia divina, quæ nulli homini denegatur, in propoſito facto perſeverent; eadem admonitio adhibeatur illis, qui animo abjecti eſſe cenſentur, quia hujuſmodi benignis admonitionibus præparantur, ut poſtea exigente id neceſſitate, graviores adhortationes ultro admittant.

Sexto. Si tamen defectus ſufficientis contritionis innoteſcat, & delicta graviora adferantur, adeo ut periculum relapſus prævideatur, ſeverior adhibeatur monitio, cum patientia tamen, & ſana doctrina, ubi ſub ipſa correptione oſtendatur quædam condolentia, adjuncta conſolatione, ne correctio ex indiſcreto zelo oriri videatur, cum certum ſit, pœnitentes obſtinatos pia potius commiſeratione & chriſtiana manſuetudi-

ne, quam aspera nimis correptione curari & emendari.

Septimo. Pœnitentes instructionis capaces plerumque sine prævia & salutari admonitione non dimittantur, præsertim si peccata mortalia sint confessi, quare exhortatio hujusmodi ut sit conveniens, desumi poterit ex statu pœnitentis, vel occasione festi occurrentis, vel temporis, ubi ex Mysteriis propositis doctrina Moralis inferenda est, si tamen similis instructionis incapaces sint, suaviter admoneantur, ut sedulo curent observare mandata Dei & Ecclesiæ, ut omni modo evitent peccata saltem gravia, quæ non inducunt nisi pœnas temporales & sæpe æternas, dum e contra exercitium virtutum mereatur promissam à Deo mercedem.

Octavo. Confessarius ùt Doctor tenetur omnem errorem avertere à pœnitente, & quantum in se est, ab omni peccandi occasione eum absterrere, etiam tunc, quando quis judicat peccatum, ubi tale non est, vel mortale, ubi solùm est veniale; quare confitentes, quod ob infirmitatem die festo sacrum neglexerint, vel illo nondum audito comederint, quod preces Sodalitatum non recitaverint, quod vesperis aut concionibus impediti non interfuerint, quod prolibus & Domesticis moderate fuerint irati &c. instruendi sunt omnino, & veritas est aperienda, præsertim si in hisce delictum grave intervenisse putaverint, ne in errore, & periculo peccandi perseverent. Nec prudens est aliquorum œconomia, qui ideo instruere nolunt, ne

pre-

preces Sodalitatis negligantur à pœnitentibus, dum hi omittentes vere peccant ob conſcientiam erroneam.

Nono. Pœnitentem in errore vincibili & culpabili conſtitutum tenetur Confeſſarius inſtruere, & medicinâ præſervativâ ulteriora peccata pœnitentis præcavere ante abſolutionem, ut de veritate informatus, & reſipiſcens de peccato illo ignorantiæ culpabilis & peccatis commiſſis conteratur, ac legitime confeſſus abſolvatur.

Decimo. Si ignorantia invincibilis fuerit, & vel concernat valorem Sacramenti, ut ſiquis naturalem dolorem judicet ſufficere vel ſi ſit circa illa, quæ ſunt ſcitu neceſſaria neceſſitate medii. Item ſi pœnitens verſetur in errore in damnum publicum, vel in damnum tertii, qualis eſſe poteſt in Judice, advocato, chirurgo, &c. ſtatim & abſolute monendus eſt pœnitens, quia Confeſſarius debet curare valorem Sacramenti.

Undecimo. Si error invincibilis concernat nullitatem matrimonii cum impedimento dirimente contracti, attendendum eſt, an admonitionis fructus probabiliter poſſit ſperari, vel an nulla prorſus adpareat ſpes emendationis, & certo majora mala inde ſint eventura, in hypotheſi priori ſine dubio tenetur Confeſſarius ſua inſtructione ignorantiam tollere etiam invincibilem, ut officio ſuo plene ſatisfaciat, & pœnitentis ſaluti proſpiciat, in altera hypotheſi tollenda non eſt à Confeſſario ignorantia iſta invincibilis, tum quia S. Auguſtinus ait : *Non*

te monerem, si scirem tibi non prodesse; tum Innocentius III. cap. 9. *de consang. & affinit.* Consultus de matrimonio invalidè contracto respondit his verbis: *Dissimulare potes, ut remaneat in copula sic contracta, cum ex separatione, sicut asseris, videas scandalum imminere.* Tum denique quia inter duo mala inevitabilia minus est eligendum, peccatum autem materiale minus est, quam formale. Curanda interim tunc est dispensatio, qua obtenta omni meliori modo matrimonium est revalidandum.

Duodecimo. Si in casu jam ultimo posito advertat Confessarius pœnitentem ex odio aut aversione nolle reddere debitum, ad id reddendum obligandus est, tanquam reus omissionis peccaminosæ, nisi rationem in jure fundatam suæ aversionis ostenderit.

Decimo tertio. Si Confessarius reperit adolescentem in ignorantia, per quam judicat pollutionem peccaminosam non esse, statim illum admoneat, quia ignorantia illa invincibilis non est, quanto diutius in peccato isto permanserit, tanto diligentiùs informandus est de malitiâ illorum actuum, quia, nisi cor sit penitus obduratum, speranda est emendatio, & conscientiæ remorsu agitatus vel peccati horrore perterritus confessarii Consilium amplectetur.

CAPUT VII.

REGULÆ ULTERIORES à CONFESSARIIS OBSERVANDÆ.

Prima. IGnorantiam fuiſſe invincibilem ex eo concluditur, quod operanti vel omittenti nulla plane inciderit ſuſpicio alicujus mali, licet hæc poſt actionem ſequatur, quia conſcientia antecedens, non conſequens eſt regula actionis, prout illa vera vel falſa fuiſſe cenſetur; ignorantia autem vincibilis infertur ex ſuſpicione præſenti, aut dubio, annon id quod agitur ſit prohibitum, aut id quod omittitur ſit præceptum, taliter dubitanti dum operari vult occurrit obligatio inquirendi veritatem, quam ſi tunc inveſtigare negligit, ignorantia fit affectata.

Secunda. Si pœnitens dubius circa rem quandam interroget Confeſſarium, veritas illi aperienda eſt, quia dubitans deſinit eſſe in bona fide, & taciturnitatem facile interpretabitur pro approbatione ſui erroris; ſi tamen ex ſolutione dubii graviſſima timeantur mala, e. g. ſcandaloſum divortium tacere poterit Confeſſarius & diſſimulare quaſi non audiverit, aut monere, ut ſe moleſtis ſpeculationibus non implicet, cautè agit, ſi plus non reſpondeat, quam quæſitum fuerit, ſic ſi pœnitens interroget an matrimonium poſt votum ſimplex caſtitatis contractum ſit validum, an poſſit ac teneatur in tali matrimonio reddere debitum, accommodè reſpondebit Confeſſarius, validum eſſe hujuſmodi matrimo-

trimonium, adeoque debitum esse reddendum; tacendo de petitione debiti si desuper non fiat interrogatio.

Tertia. Pœnitens si interroget non ùt vere dubius, sed inaniter anxius aut scrupulosus, quod ex modo interrogandi advertere poterit Confessarius, non est cur respondeat, sed vel taceat, vel moneat hujusmodi anxietates esse contemnendas, quia perseverantia illarum perturbat mentem, eamque ad servitia divina debite peragenda inhabilem reddit.

Quarta. In dubio an monitio sit profutura an obfutura, comparari possunt inter se tum utilitas, quæ speratur, tum damnum, quod timetur sicque præponderans præferendum. Si agitur de impedimento matrimonii, videndum est, num matrimonium adhuc sit contrahendum, num vero contractum, si adhuc contrahendum, & res sit adhuc integra ordinariè hujusmodi impedimentum est detegendum, quia prudenter speratur fore, ut pœnitens desistat, aut ad petendam dispensationem inducatur; si autem modo sit contractum, & discerni non possit quid utilius sit agendum, tutius est ut dissimuletur, quam ut aperiatur nullitas matrimonii. De quo supra.

Quinta. Si conjux confiteatur se carnaliter peccâsse cum non conjuge, & quidem addita promissione futuri matrimonii, pœnitens moneatur, ut talem animum dimittat, ob impedimentum criminis.

Sexta.

Sexta. Si fructus ex monitione non quidem statim, bene tamen brevi tempore post prævideatur secuturus, debet fieri informatio de veritate, præsertim si ignorantia vergat in præjudicium proximi, & pœnitens prudenter supponatur recessurus à peccato, & satisfacturus proximo, si absolutio negetur, quo in casu eam tenetur negare Confessarius, cui in hoc obedire debet pœnitens, ubi error sufficienter fuerit propositus.

Septima. Instante necessitate ob præsens vitæ periculum si pœnitens ignorans legis obligationem instrui non possit, in communi tantum interrogetur, num seriam habeat voluntatem omnem Dei legem implendi, quod si affirmet, absolvendus est, nociva enim esset tunc operosa legis ignoratæ explicatio.

Octava. Si Confessarii advertant Magnates, Prælatos, Officiales, aliosque Superiores suo notabiliter deesse officio, cujusmodi errores sæpe committuntur in collatione beneficiorum indignis facta, in subditorum gubernatione, in eleemosynis ex bonis Ecclesiasticis faciendis, regulariter illos circa obligationem instruant, ne sine monitione absolventes peccatorum participes effecti, in eodem cum illis sint damnationis periculo. Sanè in illis, quæ ad statum & officium cujuslibet pertinent, turpis est ignorantia propter obligationem certam addiscendi, ad quid ratio officii adstringat; sæpe scandalum datur subditis existimantibus similia esse licita, vel certe judicatur, Confessarios magnorum esse

canes

canes mutos non valentes latrare, & ex eorum nimia & indiſcreta diſſimulatione graviſſima ſæpius oriuntur incommoda.

Nona. Exculpandi non ſunt Confeſſarii, qui ex timore humano inducti pœnitentes præſertim in dignitate conſtitutos non admonent de gravitate peccatorum, aut de emendatione neceſſaria, ſi periculum animæ evitare deſiderent, quin potius tales ſuaviter ſimul & fortiter increpandi ſunt juxta monitum Apoſtoli ad Titum c. 1. v. 13. *Increpa illos dure*, diſcrete tamen, *ut ſani ſint in fide.*

Decima. Si Confeſſarius advertat, quod in pœnitente ſit notitia peccati alieni, ut ſi ſciat aliquos eſſe in periculo gravis ſeductionis, quam ſine ſuo incommodo impedire poteſt, monendus eſt, ut legem Chriſti de correctione fraterna obſervet, ſi emendatio non ſequitur periculum iſtud manifeſtet illis, quorum officium eſt ſimiles delinquentes corrigere, cujus ratio eſt, quod charitas graviter obliget, ut peccata proximi debito modo impediantur, ubi tamen ex circumſtantiis concurrentibus obſervandum, an & quale incommodum aut damnum manifeſtanti imminere poſſit. e. g. Si intentatur actio injuriarum, deficiente probatione judiciali exceſſuum, quos probare non poterit contra negantem, aut ſi aliud grave damnum metuatur.

CAPUT

CAPUT VIII.

QUOMODO POENITENS SIT DISPONENDUS AD VERUM DE PECCATIS DOLOREM, ET EMENDATIONIS PROPOSITUM.

Primo. CUm ad Sacramentum pœnitentiæ tanquam pars essentialis requiratur dolor, seu tristitia mentis & detestatio peccati commissi, qui per confessionem dolorosam sensibilis redditur, & tum ratione principii influentis, quod est gratia Dei actualis, tum ratione motivi per lumen fidei propositi efficitur supernaturalis, ac insimul universalis esse debet, excludensque omnem affectum ad peccatum, merito Rustici & rudes interrogandi sunt, an verum habeant dolorem, aut sufficienter attingant motiva doloris supernaturalis, quia ob defectum doloris necessarii plurimæ confessiones ab hujusmodi hominibus factæ frustrantur effectu, præcipue si tales non fugiant pericula & occasiones peccandi, quare, licet dicant se ex corde dolere, magis desuper sunt examinandi.

Secundo. Quamvis illi, contra quos non urget ratio sufficiens ex moribus judicandi contrarium, præsumantur accedere cum vero dolore, & proposito requisito, cum prudenter judicare non possimus, illos hanc obligationem aut nescire, aut eam non curare, nisi oppositum suaderent circumstantiæ frequentioris relapsus, aut peccandi occasionis, expedit tamen ut plerique alii excitentur ad dolorem & propositum, illis

sugge-

ſuggerendo motiva doloris ſupernaturalis, de capacitate pœnitentium, ſi mentis ſint compotes, dubitari non poteſt conſideratâ Dei miſericordiâ.

Tertio. Non omnes peccatores iiſdem motivis commoveri docet hiſtoria Evangelica, quæ ipſum Chriſtum Dominum varia adhibuiſſe motiva teſtatur, ad cujus exemplum Confeſſarius diverſi generis motiva in promptu habeat, ut reſpective ad neceſſitatem & pœnitentis diſpoſitionem illa proponere poſſit; univerſim autem quatuor motiva adducuntur, pœnæ ſcilicet, quas delinquens per peccata meretur, præmia deinde & beneficia, quæ manent hominem à malo declinantem, & in bono perſeverantem; tertio turpitudo quæ in ipſo crimine reperitur, denique infinita Dei bonitas, cui delicta opponuntur, ex hiſce conſequens eſt, ut audacibus & inveteratis proponantur motiva pœnarum, timoris, & juſtitiæ divinæ, ingenuis oſtendantur motiva honeſtatis quæ in virtute, & turpitudinis, quæ in peccato relucet.

Quarto. Signa, ex quibus generaliter colligi poſſit, Pœnitentem ſufficienter & vere dolere de peccatis, ſunt ſequentia: *primum* Si ipſe delicti reatum aut gravitatem agnoſcens veram pœnitentiam ſollicite deſideret, initium enim confeſſionis eſt agnitio peccati. *Secundum.* Si notabilem à peccato averſionem exterius manifeſtet. *Tertium.* Si modus explicandi delicta deprehendatur eſſe conjunctus cum quadam cordis amaritudine. *Quartum.* Si poſt peccatum com-

commissum statim tactus fuerit illius dolore, aut statuerit illud expiare per fructuosam confessionem. *Quintum.* Si peccatis adlatis adjiciat alia antehac voluntarie omissa. *Sextum.* Si sponte confiteatur peccata gravia etiam occulta. Qui semel tantum in anno animæ medicum inquirunt, dum tempus paschale urget, & parochus inquirit, an Parochiani omnes huic præcepto Ecclesiæ satisfecerint, possunt esse suspecti de insufficienti ad hæc Sacramenta dispositione, quasi necessitentur, ne molestiis afficiantur. *Septimum.* Si sollicitus de numero & minutis etiam circumstantiis obligationi confessionis anxie satisfacere intendat. *Octavum.* Si ad satisfaciendum magnam videatur pœnitentiam desiderare, aut impositam promptâ ad obedientiam voluntate acceptet, si remedia præscripta adhibere, peccandi occasiones fugere libenter velit, ut si per fragilitatem non omnia deinceps peccata vitentur, saltem numerus minuatur.

Quinto. Quamvis rudes, & peccatores inveterati maximè moveantur, si motiva attritionis seu pœnæ, quas fides docet à Deo infligi, proponantur, non expedit tamen intra servilem hanc formidinem eos relinqui, sed ut justum odium peccati concipiant, sublevandi sunt omnes ad amorem Dei, qui infinite amabilis amari non potest ab animâ peccato sordidâ, cum nihil odio habeat, nisi peccatum ob infinitam sanctitatem. Esto, quod timor Dei ut ultoris, seu supplicii æterni, si serviliter servilis non sit, sufficiat cum Sacramento ad gratiam remissionis obtinendam, conari tamen ad meliora doloris momenta

bonarum mentium eſt ; contritio , ſeu dolor, qui eſt ex charitatis impulſu , magis ab Inferno elongat, excludit fortius affectum ad peccatum, qui ſæpe remanet in rudibus , ſi tantum de pœnis cogitent, & hinc ſæpe ſunt indiſpoſiti.

Sexto. Rudioribus iter magis opportunum & accommodum eſt ab inferioribus motivis quaſi per gradus ad altiora aſcendere , hoc modo: doleo de hiſce & aliis meis peccatis à me unquam commiſſis , non tantum , quia ingratus fui Deo maximo meo Benefactori ; & ab illo tanquam juſtiſſimo judice promerui pœnas, quas peccatoribus , qui non reſipiſcunt , præparatas agnoſco , ſed maximè, quia Deum ſummum illud bonum, ſine quo nihil bonum eſt & à quo omnia bona habent , quod amari mereantur, ideoque amore digniſſimum delictis meis offendi , deteſtor illa & propono ſeriam vitæ meæ emendationem per gratiæ cooperantis auxilium.

Septimo. Confeſſarius etiam cum fructu poteſt quandoque pœnitenti enumerare beneficia Dei ſæpius præſtita , ſicut Nathan propheta recenſuit illa Davidi peccatori 2. Reg. 12. ubi volens illi oſtendere turpitudinem peccatorum, & excitare ad dolorem dixit : *Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël : ego unxi te in Regem ſuper Iſrael , & erui te de manu Saul &c. quare ergo contempſiſti verbum Domini, ut faceres malum in conſpectu meo ?* Porro beneficia Dei augentur ex infinita conferentis dignitate, ex infinito amore, quo conferuntur , ex indignitate creaturæ , cui præſtantur , ex magnitu-

dine

dine donorum, & ex iisdem capitibus crescit ingratitudo.

Octavo. Proponi hic possunt creatio hominis & ejusdem conservatio, quae unice à Dei bonitate dependet; Redemptio per sanguinem, & ignominiosam filii Dei mortem, collatio Baptismi, quo millia millium carent, & ideo in æternum à cœlo excluduntur. Educatio à Catholicis parentibus; repetita toties peccatorum remissio, constans Dei amor, quo aberrantem revocavit, prodigum suscepit, & Stola gratiæ vestivit; repetita toties ad mensam Eucharisticam admissio, innumeraque alia beneficia, quêis Deus hominem adeò circumcinxit, ut, quocunque respicit homo, in oculos illa incurrant.

Nono. Juvant etiam ad excitandum dolorem sequentes interrogationes: quid ab homine utilitatis habet Deus? prorsus nihil; quid à Deo homo? omnia; annon ergo indecens, quod Deus adeo bonus inhonoretur? nonne agnoscis peccator! quod infernum & pœnas æternas unico peccato mortali sis promeritus? annon credis, quod filius Dei ad te redimendum carnem humanam assumpserit, gravissima tormenta & mortem ipsam subierit? Nunquid Deus offensus supremus est Dominus, qui ex sua justitia & corpus & animam peccatoris deturbare potest in gehennam? nonne in avertendo tanto malo sæpe prævaluit infinita ejusdem misericordia? quæ si debitè considerentur, peccatorem etiam inveteratum ad dolorem excitabunt.

CAPUT IX.

DE PRUDENTIA CONFESSARII CIRCA PUEROS.

TUtius est, & consulendum, ut pueri saltem qui necdum ad sacram Communionem admissi sunt, à proprio Parocho aut ejus Sacellano audiantur, Confessarius enim ignotus etiam exercitatus maximam in hoc negotio inveniet difficultatem, cum sæpissime dubium sit, an hujusmodi sufficientem habeant rationis usum, an sufficienter sint instructi, an sciant scitu necessaria, an & quomodo peccaverint, de quibus clariorem ideam formabit proprius Parochus iisdem notus, & peritiam ac indolem illorum intelligens, pro facilitanda tamen hac difficultate resolvitur

Primo. Usus rationis, de quo in præsenti, est cognitio bonitatis & malitiæ humanorum actuum seu facultas judicandi, quid honestum, quid turpe sit in moribus hominum. Puerum esse illius compotem, non determinat ætas, seu complementum septennii, cum alii eo completo nondum hâc facultate polleant, alii ante dictum tempus doli capaces sint, malitiâ ætatem superante; attendenda est igitur qualitas ingenii & educationis; an puer agnoscat peccatis correspondere malum à Deo infligendum, exercitium verò virtutum præmio compensari, an pudore suffundatur ex mendacio, impudicitiâ, læsione aliorum, an docilem se præbeat in-

instructioni Sacræ, an sollicitus sit in Sede confessionali, ut omnia rite peragat.

Secundo. Signum exiguæ maturitatis est, si pueri nihil per se ipsos proferre possint, vel si recitent aliqua per modum narrationis puerilis, aut adferant formulas à parentibus inculcatas, si ad omnes quæstiones affirmative respondeant, licet antea propositis sint contradictoriæ, si digitis, pileo aut rosario tantum ludant, respicientes ad illa, quæ extra geruntur.

Tertio. Ad indagandam requisitam in puero scientiam interroget Confessarius, qua de causa ad Sedem confessionalem accesserit, an, ut peccata confiteatur? ulterius quærat, quare confiteri desideret, si dicat, ut à peccatis absolutus, gratiam Dei consequar, paterne audiat Confessarius ejus confessionem. Si dicat, se nescire quid sit confiteri, inquirendum est de necessariis necessitate medii, & ante omnia talis disponendus est ad verum actum fidei, ex quo deducitur dolor ad hoc Sacramentum requisitus, quanquam habitus virtutum Theologicarum, aliarumque infusos Baptismus conferat, ad exercitia earum præparare debet Catechesis, cura parentum aliorumque ad quos ex officio pertinet. Non sunt sine culpa, qui ad confessionale mittunt pueros Catechesi non præparatos.

Quarto. Pueri interrogari possunt, num credant peccatores etiam post hanc vitam à Deo justo Judice puniendos esse, an judicent peccatorum vincula solvi in hoc Sacramento per Sacerdo-

cerdotis absolutionem; num sciant pœnas à Deo per hoc Sacramentum remitti, & quare credant, an, quia Deus infallibilis revelavit, sicque suaviter quærendum, an etiam ipsi à peccatis absolvi desiderent.

Quinto. Manente dubio de dispositione necessaria, & capacitate pueri, si non nisi levia quædam adferantur, cum sola benedictione dimittendus est; si vero graviora aperiantur, aut talia, de quibus dubitatur, an sint mortalia, facta congrua dispositione absolvendus est, quia saltem erunt venialia certa, adeoque materia sufficiens confessionis.

Sexto. Non est reprehendenda consuetudo pueros etiam ante septimum ætatis annum ad Confessarium adducendi, & licet necdum absolutionis capaces sint, expedit tamen, illos confitentes audire, ut paulatim instruantur, ubi Confessarius suaviter tales excipiat, & dum per tempus licet, tradat illis methodum confitendi, & qualiter sub ipsa confessione se gerere debeant; proponat, quod antequam accedunt, diligenter examinent conscientiam circa cogitationes, verba, & opera, præprimis tamen eos moneat timorem Domini omnia etiam occultissima scientis, *Initium sapientiæ est timor Domini.*

Septimo. Examinari possunt sequenti modo: an modo confessi sint & quando, sicque enarratis ab ipsis peccatis, si in aliquo deficiant, interrogentur: an Dominicis & festivis diebus devote sacrificio Missæ interfuerint, an in illo

cum

cum aliis garriverint, & quamdiu; aut ſub illo petulantes extiterint; an Parentibus, aut in Scholâ inobedientiam præſtiterint, an cum aliis rixati fuerint, aut quenquam verberaverint, vel probroſo dicto læſerint, an mentiti fuerint; an invidi fuerint, & malum alicui imprecati; an Senioribus illuſerint, aut Parentibus & aliis quidquam ſurripuerint &c.

Octavo. Si puer nonnihil audacior appareat, inquiri poſſunt ejus converſationes, annon indecentes quaſdam inſolentias cum aliis exercuerit videndo v. g. aut tangendo, quia tales inſolentiæ initium ſunt ſeductionis, quêis ſi in infantia aſſueti fuerint, malum hoc cum ætate accreſcet, quare à ſimilibus dehortandi ſunt, caute tamen tales quæſtiones inſtituantur, ne pueri malum ignoratum addiſcant faciantque.

Nono. Quando ſine numero enarrant furtum, mendacium, inobedientiam, interrogari poſſunt, an frequenter talia commiſerint, ut ſic paulatim addiſcant, numerum in gravioribus exprimendum eſſe; ſpecialiter hic inquiratur, qua conſcientia in agendo vel omittendo ducti fuerint, eo quod aliquando contingit, pueros peccare graviter in materia de ſe levi, vel quia male à Parentibus inſtructi, vel à levibus ſub pœna inferni ſunt deterriti; ex eadem illa ratione in materia gravi nonnunquam peccant leviter, quia malitiæ gravitatem non apprehendunt, adeoque inquirendum, quo dictamine proceſſerint.

Decimo. Prolixitas examinis evitanda, ne confeſſionis faſtidium ingeratur, ac proinde neceſſaria tantum ſunt inquirenda, & ſi aliquid laudabile in illis inveniatur, laudandi ſunt & animandi ad perſeverantiam boni, quæ via eſt ad æternam felicitatem, ſi vero deliquiſſe illos aut erraſſe conſtet, deterrendi ſunt ſuaviter à peccatis ad exemplum Tobiæ ſenioris c. 4. Filium ſuum hoc modo adhortantis, *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.*

Undecimo. Confeſſione abſoluta, ſi abſolutio neceſſaria eſſe cenſeatur præmiſſis actibus Fidei, Spei & Charitatis, excitandus eſt puer ad verum dolorem eliciendum, pro quo proponi poteſt, quod homo peccator per delicta gravia pœnas mereatur graviſſimas easque æternas, & ſi impœnitens in gravis peccati reatu moriatur, detrudendus ſit in infernum, & perpetuo torquendus; per venialia vero mereatur pœnas temporales vel in hac vita, vel in purgatorio eluendas, quas pœnas Deus ipſe peccatori comminatus eſt, quia maxime odit peccata; ab hiſce aſcendatur deinde ad motiva Superioris ordinis, quæ ſupra tradita ſunt, proponaturque honeſtas relucens in eo, ut peccator ſincere & ex corde doleat de peccatis commiſſis, tum ob pœnas promeritas, tum ob Deum maximum in ſe bonum tam graviter offenſum.

Duodecimo. Puer ad dolorem præparatus facile ad explicitum emendationis propoſitum movebi-

vebitur, si recensitis peccatis tum in communi, tum in particulari, interrogetur, an eundem Deum, quem peccatis offensum fuisse dolet, imposterum offendere velit, curet deinde Confessarius, ut pœnitens seriam concipiat, & manifestet voluntatem de cætero nunquam peccandi.

Decimo tertio. Satisfactio & ætati & delicto proportionata est injungenda, quæ statim post confessionem persolvenda, ne eam obliviscantur pueri, aut obiter tantum persolvant. Inutile haud erit eos admonere, ut seduli & attenti sint in Catechismo, & libenter addiscant pertinentia ad hoc Sacramentum pœnitentiæ.

CAPUT X.

QUOMODO PROCEDENDUM CUM ADOLESCENTIBUS.

Resp. primo. MUltum laborandum est, ut Adolescentes à malo deterreantur, & ad virtutis exercitium perducantur: *Adolescens enim juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov.* 22. Quare Confessarius præcipue hoc pleno periculorum tempore peccati horrorem illis ingerat, pernitiosum hujus effectum proponere studeat; *qui seminat iniquitatem, metet mala*, eripiat quoque illis præjudicia, dum censent juventuti quidquam concedendum esse, ubi adolescentiæ confidentes in varia sæpe delicta præcipitantur, nimia hujusmodi confidentia multos

non raro decepit, Abſalon juvenis & decorus vultu poſt graviſſima peccata è quercu pendens miſere interiit.

Secundo. Si advertat Confeſſarius Adoleſcentes curiosè lectitare libros illos, qui ſub ſpecioſo verborum fuco Venenum juventuti maximè nocivum abſcondunt, paterna cum gravitate corripiat, & oſtenſis periculis à pravo hoc more abſterreat, moneatque, ut ſequantur illos qui *Act.* 19. *Fuerunt curioſa Sectati, ſed ab Apoſtolis inſtructi impios libros combuſſerunt.* Cum ſoleant prætexere vel exercitium linguæ Gallicæ, vel amorem poëſeos, ſuadeatur uſus librorum approbatorum, ex obedientia Eccleſiæ debita.

Tertio. In exponendis peccatis ſi deficiant, examinari poſſunt, an obſcænis cogitationibus ad malitiam advertentes inhæſerint, ſi negent ſe animadvertiſſe, doceantur, quod debuerint & facile potuerint ad eam reflectere; an verba indecentia protulerint, aut ab aliis prolata libenter audiverint, & curioſitate ſua promoverint, an tempus otiando perdiderint, an pecuniam ad neceſſaria comparanda ſibi datam dilapidaverint: an Sociis ſuſpectis ſeſe junxerint, aut mali quidquam cum illis commiſerint, in materia tamen caſtitatis cautiſſime interrogentur Adoleſcentes & Adoleſcentulæ, ne addiſcant illa, quorum ignorantia magis expediens eſt,

Quarto. Data occaſione ante omnia monendi ſunt, ut in quantum conſcientia illos reos eſſe dictat, integre confiteantur, ne ex pudore tace-

taceant etiam illa peccata, quæ aut certum, aut dubium eſt eſſe mortalia; quia talis reticentia Sacramenti hujus effectum impedit, & grave Sacrilegium inducit, nec excuſat hic verecundia, cum Confeſſarius ſciat hominum fragilitatem, & illi ſoli delicta manifeſtentur, qui ſtrictiſſime ad Sigillum confeſſionis tenetur, adeo ut pro nullo caſu illa revelare audeat, dum è contrario peccata gravia ſcienter omiſſa toti mundo manifeſtabuntur in extremo Judicii die cum maxima confuſione & æterna damnatione.

Quinto. Inducendi ſunt, ut tentationes obvenientes fideliter aperiant, ne mediis deſtituti ſuccumbant; ut fugiant malos Socios, & nimiam cum aliis familiaritatem, cum perverſis enim pervertentur; commendanda etiam eſt illis Lectio ſacra, ſicut & frequens communio & confeſſio & quidem, ſi fieri poſſit, apud eundem Confeſſarium, cum admonitione ut diligens examen, & actus requiſitos præmittant, graviaque peccata ſecundùm numerum & ſpeciem confiteantur.

Sexto. Siquis ordinarium habens Confeſſarium accedat ad alium, non eſt ideo judicandum, quod clam fugiat judicium proprii Confeſſarii, Confeſſarius ordinarius ſciens pœnitentem ſemel aut iterum ad alium pro confeſſione tranſiiſſe, ad ſuum confeſſionale redeunti nullam diſplicentiam oſtendat, ſed benigne illum ſuſcipiat, cum libere ob occaſionem aut cauſam rationabilem id facere potuerit, etſi utilius ſit per ſe loquendo, non variare.

Septimo.

Septimo. Nulla cum illis fiat ſermocinationis extravagantia, ſed neceſſaria tantùm proponantur, quæ enim audiunt exotica, pœnitentes facile aliis narrant, & ipſimet poſtea prudentiores de hoc Sacramentalis judicii abuſu judicant. Pia dentur documenta & ſalutaria monita, dum opportunum eſt, nam ſi non ſtatim, tamen poſtea deſideratum illa fructum adferent.

Octavo. Pœnitentia utilior injungenda, quæ valet ad virtutes excercendas, & ad vitia extirpanda, cumque contraria contrariis curentur, videndum eſt; quænam peccata confeſſi ſint, & quibus maxime dediti, pro praxi, ſiquis negligens fuerit, in examinandâ conſcientià, jubeatur per octiduum à veſperi examen inſtituere, & dolorem elicere, ubi ſe deliquiſſe compererit; ſi quis potui addictus fuerit, jubeatur aliquamdiu popinam non intrare ad Sympoſium conſuetum, aut deſerere illos ſocios, qui forte malo exemplo ad intemperantiam pertrahunt, vel etiam ut in honorem alicujus Sancti extra tempus prandii & cænæ, per aliquot dies nihil comedat & bibat; ſi quis parentibus graviter inobediens fuerit, jubeatur ſpeciali reverentia honorem illis debitum exhibere; in materia venerea reis oratio, jejunium, & quædam corporis mortificatio præcipiatur.

Nono. Circa electionem ſtatûs ineundi ſi conſulat Adoleſcens, adtendenda eſt ætatis conditio, deliberandum eſt diu, quod ſtatuendum ſemel, dum agitur de negotio, à quo dependet æterna animæ ſalus, moneatur, ut continuis apud De-

um

um instet precibus, & intercedente confessione sæpius adeat sacram Synaxin, ut auxilium divinum hic summè necessarium, & directionem obtineat, totus intentus ut instinctum divinum sequatur sub precibus ingeminet: *Domine quid me vis facere? loquere, quia audit servus tuus.*

Decimo. Finis Deo in mortali hac vita fideliter serviendi, & æternam beatitudinem promerendi, in tali deliberatione cogitetur, necessum est; eligatur status respective melior, id est magis personæ eligenti accommodatus, consideratis omnibus, non tantum quæ in ipso deliberante sunt bona vel mala, ut sunt bonæ vel malæ inclinationes naturales, boni vel mali habitus, sed etiam quæ in istis statibus concurrere possunt ad promovendum dictum finem, quod quia multi neglexerunt, & adhuc negligunt, in statu electo, & eligenti disconveniente misere perierunt, & adhuc multi peribunt.

Undecimo. Quamvis in statu Religioso & Ecclesiastico *veterem hominem exuere* debeamus, & *induere novum, qui secundùm Deum creatus est,* multi tamen decipiuntur, dum cogitant de futura hujus vel illius pravæ consuetudinis emendatione, si in tali statu fuerint; sine dilatione debet anima præparari ad defectus illos corrigendos, & probari, num spes affulgeat secuturæ plenæ emendationis.

Duodecimo. Si pœnitens statum aliquem modo elegisse, & electioni satis maturus esse deprehendatur, pro vocationis constantiâ instanter exo-

exoret Deum, ne à propoſito ſuo impediatur; quod ſi in tali electione mundano tantùm aut humano motivo innixus fuerit, à quo ſtatûs infelicitas & animæ periculum derivantur, aliter deliberare jubeatur, pure intendendo gloriam Dei & animæ ſalutem.

Decimo tertio. Eligens ſtatum Religioſum, & adhuc incertus quam Religionem ingredi velit, ex una parte expendat talenta ſua, complexionem & vires corporis, propenſiones quoque animi, facultates & media; ex altera vero parte conſideret ſtatuum, inter quos adhuc deliberat, commoda & incommoda, difficultates, pericula, & occaſiones ad perfectionem perveniendi, quibus inter ſe collatis videndum, quinam ſtatus magis conferat ad ſalutem animæ, & gloriam Dei, quam in omnibus ſine reſpectu ad corporis commoditates quærere debet.

Decimò quarto. Qui matrimonium inire ſtatuerunt, in hoc inprimis incumbant, ut intra limites honeſtatis permanentes à vitiis carnis abſtineant, talia enim peccata antecedentia ſtatum ſubſequentem reddunt infelicem, nec diu ſine juſta cauſa differendum matrimonium poſt contracta ſponſalia, periculoſum namque eſt tempus illud intermedium & occaſio eſſe poteſt plurium peccatorum, curandum quoque ut in ſtatu gratiæ matrimonium contrahant, ne priventur benedictione ipſis ſummopere neceſſaria à Chriſto per Sacramentum promiſſâ ritè ſuſcipientibus.

CAPUT XI.

QUID SPECIALITER OBSERVANDUM CIRCA RUDES.

Primo. SUnt inter rudes, qui peccata oris & operis tam vivis coloribus depingunt, ut illa videre potius, quam audire videamur, imo tam inhonesto modo illa proferunt, ut audienti Confessario horrorem adferant, horum abusus omnino tollendus est brevi sed cautâ instructione, quod confessio debeat esse verecunda, sunt & alii non tam rudes, quam malitiosi, qui peccata gravia præprimis carnalia tam ambiguis verbis confitentur, ut Confessarius distinctam illorum notitiam habere non possit, quorum malitia reprehendenda est, quia illorum confessio minimè est fidelis, odio enim *habent lucem, ut non manifestentur opera eorum mala;* simulatione fallunt Confessarium, sed *mentitur iniquitas sibi.*

Secundo. Inordinata est illorum confessio; qui peccata sua absque omni numero, vel etiam in genere tantùm enarrare solent, ubi officium Confessarii requirit, ut dato tempore instruantur, peccata saltem mortalia secundùm numerum veriorem. & in specie etiam venialia cum dolore exprimenda esse, si illa confiteri voluerint, illa autem omnino, de quibus dubitatur, an sint mortalia. Super his informandi sunt à propriis Parochis in Catechesi.

Tertio.

Tertio. Rudes sine sufficiente examine ad confessionale venientes, non jubeantur abire ad diligentiùs examinandam conscientiam, quia sic dimissi, vel non redibunt, vel æquè imparati; excitanda potiùs erit seria voluntas bene confitendi; hæc ostenditur, si desiderent interrogari & respondere conentur humiliter; quo indicio bonæ voluntatis animadverso fiat examen juxta conditionem illorum, & quidem circa ea, quæ frequentiùs tales committere solent. Si pœnitens non adeo simplex reperiatur, & à longo tempore non confessus, atque simul gravatus multis peccatis diversi generis, inducendus est, ut præviâ per debitum examen dispositione ad accuratam confessionem revertatur; quod in magno concursu pœnitentium, dum longiori examine opus esse advertitur, observetur, nisi aliud suaserint circumstantiæ.

Quarto. Simplices se accusantes de omissione Sacri v. g. interrogandi sunt, qua de causa illud omiserint, & an missam audire potuerint, si enim absolute Sacro interesse non potuerint, quia erant in loco, ubi missa non legebatur, licet judicaverint, se omittendo peccare, omissio non est peccaminosa ob defectum libertatis, cum ad omissionem, ut sit libera, requiratur, ut confusè saltem prævisum fuerit periculum omittendi, & supponatur potentia agendi illud, quod omittitur. Si subsistente causa excusante quidem, sed absolute non impediente judicaverint se verè & graviter delinquere Sacrum non audiendo, utique illos peccasse inferendum est, quia cum absolute possent, & se obligatos reputarent, egerunt contra conscientiam.

Quinto.

Quinto. Si rudis nullum peccatum in particulari exprimat, dicens: nihil ſcio, omnes ſumus peccatores, examinari debet velut puer, & ſi nihil ab ultima confeſſione extorqueri poſſit, interrogetur de vita præterita, an nunquam mentitus fuerit, an nunquam parentes offenderit? an nunquam iratus fuerit, aut in laboribus impatiens, annon Sacrum aliquoties neglexerit, aut ſine devotione audiverit &c. ſi nihil fateatur, interroganda ſunt neceſſaria neceſſitate medii, quia & in hiſce idiotam eſſe prudens eſt ſuſpicio, in quibus ſi ignorans inveniatur, dimittendus eſt & monendus, ut ſe informari faciat, & informatus redeat.

Sexto. Suppoſita notitia illorum, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, ſi confiteatur ſe peccatorem eſſe, inſtruatur ſuper lege Chriſti per Eccleſiam nobis declaratâ, quod teneatur dicere, in quo ſe putet peccatorem. Si dicat ſe eſſe Catholicum, & ſe ſperare remiſſionem culparum, & dolere de peccatis commiſſis, minimè debet tali Lutheranæ confeſſioni acquieſcere, ſed dicere, quas culpas ſperet remittendas, ſuper quo doleat, in quibus emendare ſe velit, proponatur illud 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ex hoc textu concludat: ergo mendax es, ſi dixeris, te peccatum non habere, aut habere quidem, ſed nullum poſſe dicere, ſuper quo doleas.

Septimo. Supponendum pro jam dictis, quod ſimplicitas proveniat à naturali complexione, cu-

jus signum, si Christiane vivens ad alia temporalia æque inhabilis deprehendatur pœnitens, si vero defectus oriatur ex certis quibusdam peccatis, ut sunt, luxuria & ebrietas, quæ mentem excœcant, absolutio differatur, & prius media præscribantur utilia ad evitanda hujusmodi peccata, frustranea enim est instructio, ubi durat impetus passionum.

Octavo. Blasphemias, maledictiones & juramenta in lingua vernacula sub ambiguis verbis sæpe proferunt rudes, quare interrogandi sunt, quomodo, qua intentione, & quænam verba protulerint, an adverterint hæc verba taliter prolata cedere in contemptum & injuriam Dei, sæpe enim talia prodeunt absque omni advertentia ad malum, aut ex motu omnem rationem præveniente, adeoque ad culpam non imputantur.

Nono. Blasphemia est contumeliosa in Deum locutio: v. g. negando ex impio affectu quod est, scilicet quod non sit justus, bonos miseriâ, malos opibus implendo. Arguendi etiam sunt blasphemiæ, qui convitia protrudunt in beatam Virginem aut Sanctos, hæc enim redundant in ipsum Deum, qui in Sanctis honoratur, blasphemat proinde, qui serio dicit, perdat te sanguis Christi, &c. quia in his omnes communiter advertunt magnam Dei vilipensionem contineri.

Decimo. Blasphemia per se est peccatum mortale, materiæ levitatem non admittens, quia quælibet Dei contumelia est gravis injuria & Dei contemptus. Notet nihilominus Confessarius,

quòd

quòd blasphemiæ omnes non sint speciei ejusdem; blasphemia enim hæreticalis specie differt ab imprecativâ, qua quis Deo malum imprecatur, & à simplice, dum quis verba profert, quæ diminutionem honoris divini continent, & hæc prolata contra Deum specie differunt ab illis, quæ malitiosè eructantur contra Sanctos. Si sit *magna*, & *seriò prolata*, est peccatum in hâc Diœcesi reservatum. Seriò prolatam esse hìc significat, si plenè deliberatè fiat, si verò ex quodam motu passionis prolata sit, tunc quidem est obligatio confitendi, sed non est reservata.

Undecimo. Sicut consuetudo amandi Dei efficit, ut assuetus prorumpat in actus amoris divini quasi imperceptibiliter, ita tamen ut actus illi ad meritum sufficiant, ita quoque, qui blasphemandi aut jurandi consuetudinem contraxerunt, exercitè satis, quamvis non ita reflexè, ad peccati malitiam advertunt. Unde

Duodecimo. Qui pravam hanc consuetudinem contraxerunt, licet inadvertenter verba talia proferant, ut sint absolutionis capaces, tenentur illam serio tollere, & si adhibitis mediis necessariis una aut altera vice lapsi fuerint, possunt aliquando excusari, eo quod blasphemiæ illæ nec in se, nec in causa efficaciter retractata sint voluntariæ.

Decimo tertio. Excusatur à blasphemiâ, qui eo fine, ut non blasphemet, verba, quæ profert, adeo immutat, ut nullam dehonorationis speciem præ

ſe ferant, ficta enim ſunt hujuſmodi verba, & mala proferentis intentio abeſſe præſumitur. E.g. Sapperment, & ſimilia. Cavenda hæc tamen propter ſcandalum, & indecentiam.

Decimo quarto. Culpabilis eſt, & quidem graviter, qui amentem aut ebrium ad blaſphemias incitat. Quia operantis peccatum merè materiale ex objecto fit formale in eo, qui ex malo fine cauſat talem operationem, ſicut dum amente, vel puero, vel ebrio utitur tanquam inſtrumento ad nocendum alicui tertio, ad cantandum, aut faciendum turpia, etſi nemo alius audiret, aut videret. Certè gravis eſt culpa eorum, qui ſcientes alios ſolitos eſſe in blaſphemias erumpere, ad hoc illis præbent occaſionem. De pœnitentia vere blaſphemanti imponenda ſic ſtatuit Concilium Lateranenſe: *in foro autem conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus abſque graviſſima pœnitentia, ſeveri Confeſſoris arbitrio injuncta, poſſit abſolvi.*

Decimo quinto. Maledictio eſt dira imprecatio, qua quis ſibimet ipſi, vel alteri optat malum ſub ratione mali, de qua ſi rudes ſe accuſant, interrogandi ſunt, quænam verba uſurpaverint, confundunt enim ſæpe blaſphemiam cum imprecatione, & hanc cum juramento; imo ſi Diabolum nominaverint, aut alium ignominioſo nomine compellaverint, dicunt, ſe maledixiſſe, quod falſum eſt; monendi ſunt tamen, ut à more Diabolum quoquo modo frequenter nominandi abſtineant, etſi nulla imprecatio accedat.

Decimo

Decmo sexto. Si verè imprecati fuerint, videndum, an pecoribus, an hominibus, si primum, peccaverunt graviter, si tales imprecationes ùt solet fieri, processerint ex animo, ut pecorum Domino grave malum eveniat; si secundum, & malum vere grave alteri imprecati fuerint, v. g. Diabolus te auferat, fulmen te percutiat &c. peccarunt mortaliter non tantùm contra charitatem, sed & contra justitiam imo & contra pietatem, si filius Parentibus, contra observantiam, si subditus Superiori in faciem maledicat. Si fiat imprecatio morbi ea intentione, ut e. g. ebriosus compellatur ad temperantiam, qui correptiones spernit, non peccatur.

Decimo septimo. Qui ex impatientia optat: utinam natus non essem, vel maledicta dies, qua natus sum, vel quâ te conjugem accepi, graviter delinquit, si deliberate intendat sibi aut alteri homini optare grave malum, si autem maledictio tantùm ostendat hyperbolicam doloris vehementis exaggerationem, permanente firma mentis in bono constantia, sermo iste à peccato mortali immunis esse potest, sic Job maledicendo diei nativitatis suæ, censetur non, vel tantùm venialiter peccasse, cum Deum ipsum habuerit suæ constantiæ testem, & defensorem. Examinetur in conjuge causa movens ad talia verba, & consideret pium monitum Eccl. c. 3. *in mansuetudine perfice opera tua, & super gloriam hominum diligeris.*

Decimo octavo. Simplices, ne peccent ratione conscientiæ putantes se jurare, ubi juramentum non est, instruendi sunt circa notionem juramenti,

 quod

quod est invocatio divini nominis in testimonium & confirmationem alicujus rei, aliud est *assertorium*, quo confirmatur dictum vel factum de praesenti vel praeterito; aliud *promissorium*, quo confirmatur promissum, vel aliquis se alteri obligat pro futuro; *perjurium* est juramentum de falso in opinione jurantis, quare licet illud, quod quis jurat, à parte rei verum certumve sit, si tamen jurans putat esse falsum, vel dubium, quod juravit ut certum, perjurus censetur, quia deliberate Deum in testem alicujus rei secundum suam intentionem falsae vel incertae adducit, estque peccatum mortale.

Decimo nono. Ut juramentum sit licitum & actus Religionis, requiritur veritas, una cum judicio & justitia, de quibus *Jerem.* 4. legimus: *Jurabis in veritate, & in judicio, & in justitia.* Veritas jurantis adest, quando certo cognoscit vel prudenter judicat rem esse veram. Judicium verò, si adsit justa causa utilitatis aut necessitatis. Justitia denique, quando res ipsa licita est, & ob finem honestum juratur.

Vigesimo. Si in juramento assertorio desit rei veritas, & in promissorio voluntas se obligandi, semper est mortale, quia semper gravis est injuria contra Dei veracitatem. Reliqua ad hanc materiam spectantia quaere apud Theologos, aut Canonistas.

Vigesimo primo. Hae formulae: testor Deum, invoco Deum in testem, veram habent juramenti rationem; an etiam sequentes: coram Deo

loquor,

loquor, Deus scit, qui videt meam conscientiam, dependet ab intentione hæc verba proferentis, si enim hisce dictis vere intenderit Deum vocare in testem, vera adest ratio juramenti. Si dixerit: quàm verè vivo, hic sto, aut tecum jam loquor, non est juramentum, sed unius veri cum alio vero fit comparatio, qui falsum talibus verbis, quæ juratoria putabat, confirmavit, peccavit per errorem.

Vigesimo secundo. Qui se accusant, quod falso juraverint, interrogandi sunt, an in judicio, an in particulari colloquio sua dicta confirmare voluerint. Si in judicio, an in alicujus damnum. Si in colloquio particulari, minor quidem deliberatio præsumitur, & propterea minor culpa, sed tamen perjurium est.

Vigesimo tertio. Parentes facile excusantur à juramento comminatorio implendo, dum ex motu primo, & iræ aut impatientiæ impetu jurant se proles degeneres certa quadam pœna punituros, cum censeatur restrictum conditione: nisi veniam deprecando impetraverint, aut nisi circumstantiæ fecerint spem emendationis; interim *jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* Eccli 23.

Vigesimo quarto. Rudes confitentes quod ad Missam in diebus præceptis Serovenerint, interrogandi sunt, quando ad illam venerint, & an voluntarie se exposuerint periculo serius veniendi, multi enim parum seroveniunt, aut etiam debito tempore adsunt, sed omnino fortuito, quia

ſacrum ob cauſas incidentes ſolito ſerius inchoatum fuit, qui tamen propterea in conſcientia graviter ſunt culpabiles, cum ſe periculo ſponte commiſerint, notabilem Miſſæ partem non audiendi.

Vigeſimo quinto. Si venerint ad initium epiſtolæ & ad finem uſque permanſerint, per ſe Loquendo venialiter tantùm peccarunt. De legis Eccleſiaſticæ debito implemento ſolliciti advertant, quod multi Doctores cenſeant talem peccare graviter, qui venit poſt Evangelium, quia hæç pars omiſſa notabilis eſt reſpectu Miſſæ, certum interim eſt, quod poſt Offertorium veniens à mortali non excuſetur.

Vigeſimo ſexto. Confitentes ſe Sacro non interfuiſſe, interrogandi ſunt, an omnino voluntarie illud omiſerint, annon legitime fuerint impediti, multæ enim hic ſunt cauſæ excuſantes, quas paſſim adducunt Theologi, & hæ ſi vere ſubſiſtant, Eccleſia tales obligare non intendit. Realem cauſarum iſtarum exiſtentiam inde deduces, ſi pœnitentes ſatis conſcientioſi fuerint, illi enim, quorum conſcientia laxa eſſe videtur, hujuſmodi cauſas ſæpe fingunt, & ſe ipſos decipiunt, *maledictus* quippe *qui facit opus Dei negligenter.* Jerem. 48 idem transgreſſioni aliorum præceptorum Eccleſiæ applicari poteſt.

Vigeſimo ſeptimo. Solent quandoque rudes præcipue ad curanda pecora adhibere incantationes aut alia hujuſmodi, quo ſuper interrogandi, quænam illa fuerint, quæ adhibuerunt, & ſi no-

mina

mina ignota, ſi verba falſa aut apocrypha, ſi credebatur certum numerum & determinatam horam debere obſervari, facta illorum reprobentur cum monitione, ut media ordinaria & licita adplicentur.

Vigeſimo octavo. Siquis ab aliis talia media adhiberi petierit, ordinarie adeſt periculum vanæ obſervantiæ, & nonnunquam pactum implicitum cum Dæmone intercedit, præſertim ubi nec virtus naturæ, nec ſolertia cauſæ artificialis, nec Dei aut Eccleſiæ inſtitutio rationem ſufficientem effectus ſubſecuti continent, opus patratum inter opera Sathanæ merito recenſetur.

Vigeſimo nono. Vanæ ſunt & inutiles annexæ quibuſdam precibus, etiam uſque adeo in libris quibuſdam typo editis expreſſæ formulæ, queis ad numerum præſignatum recitatis infallibiliter impetrandos eſſe effectus ſalutares creditur, e.g. certam fore mortem in ſtatu gratiæ, certam Sacramentorum pœnitentiæ, viatici, extremæ unctionis adminiſtrationem, dum tamen Deus id nequaquam promiſit, ſed multis juſtis, etiam Sanctis abſque ſalutis æternæ diſpendio vitam apoplexia ſuſtulit, proinde illi, qui ſimilibus precibus opinantur ſecuritatem æternæ felicitatis à Deo certiſſimé concedi, miſerè à Diabolo tentatore falluntur, ut vana ſpe decepti minus curent vitam Evangelio conformare & vigilare. Multæ precationum talium formulæ revera piæ ſunt, & à fide haud alienæ, certa tamen confidentia effectum infallibilem exſpectare nefas eſt ob defectum promiſſionis divinæ e. g. Quindecim orationes S. Brigittæ recitantibus per anni ſpatium pro-

miſſam eſſe converſionem 15 Impiorum, confirmationem 15 Juſtorum &c. vana eſt credulitas, quanquam piè per eas paſſio Domini colatur.

Trigeſimo. Ad maleficia diſſolvenda nemo opem ab illis petere tentet, qui in hac arte famoſi dicuntur, cum certum ſubſit periculum, ne maleficium novo Maleficio diſſolvatur; ſi quis ad hanc liberationem ſpontè ſe offerat, inquirendum eſt, quo medio uti voluerit, ſatis ſuſpectus erit, ſi modum curandi edicere recuſaverit, eritque ſub gravi culpa abſtinendum ab oblato remedio, cum intrinſece malum ſit expetere Sanitatis beneficium à Dæmone.

Trigeſimo primo. Abſque omni tamen culpa tolluntur maleficia medio naturali, aut exorciſmis Eccleſiæ, qui tamen non aliter, quàm juxta Archiepiſcopalem conſtitutionem adhibeantur. Licite removentur ſigna magica, aut conditio, ſine qua vel non exiſtit, vel non perdurat maleficium; imo ſi maleficio infectus ſciat, inficientem illud poſſe tollere ſine novo maleficio, licet poſſibile eſſe opinetur, quod illud ſine novo non ſit ſublaturus, exigere poteſt, ut maleficus maleficium tollat, quia malitiæ ipſius imputandum eſt, quod ultra id, quod licitè poſtulatur, illicitè procedat.

CAPUT

CAPUT XII.

QUOMODO FIDEI MYSTERIA IGNORANTES SINT INSTRUENDI.

Primo. DEfectum notitiæ circa illa, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, colligimus tum ex conditione pœnitentium, tum ex modo confitendi, ſic etiam adulti quidam confeſſionale ingreſſi quaſi vocis uſu deſtituti ad interrogata reſpondere neſciunt, quod ſignum eſt notitiam neceſſariam deficere, ubi è contrario prudenter ſupponitur homines bene educatos & frequenter confitentes ſcire illa, quæ ad fidem vel ad Sacramentum ſunt neceſſaria, & circa tales pœnitentes inſtructio eſt ſuperflua.

Secundo. Gravis incumbit illis obligatio, quibus animarum cura eſt commiſſa, ut ſibi commiſſos debite inſtruant præſertim in Fide, à qua tanquam principio & fundamento cætera dependent, ideoque Parochi & alii animarum Rectores indefeſſi ſint in Catecheſi, cujus utilitas ut perſeveret, optimum erit, explicari ſæpius in Concionibus fidei Myſteria.

Tertio. In tollenda puerorum circa Myſteria fidei ignorantia magna ſæpe requiritur temporis mora; ideo, ne alii nimium exſpectare cogantur, melius eſt, omnino ignorantes dimitti vel ad Parochum vel ad Ludimagiſtrum; qui tamen provectioris ſunt ætatis, rarò taliter ſunt dimittendi, eo quod etiam moniti vix Parochum adibunt

bunt, acceſſum hunc retardante verecundia, quare ſi informatio longior requiratur, ne aliis ſint gravamini, extra Sedem confeſſionalem accedentes ſunt inſtruendi, ſi breviter inſtrui poſſint, charitas exigit, ut omni meliori modo informentur, S. Carolus Borrom. in Conc. Mediol. V. monet: *Si* pœnitens de ignorantia tali *nuſquam antea monitus fuerit, poterit tum Confeſſarius ei gratiam abſolutionis impertiri, ea tamen præmiſſa ſemper inſtructione, quam pœnitenti ſufficere cenſuerit, ut tanto beneficio non ſit indignus.*

Quarto. Data temporis opportunitate pœnitentibus rudibus exhibeatur modus exercendi virtutes Theologicas, propoſito earundem motivo, tale enim, & frequens quidem exercitium maxime utile eſſe communiter tradunt Theologi, quare ut actus illarum virtutum aliquando eliciantur, etiam pro pœnitentia injungi poteſt.

Quinto. Simplices ad interrogationem Confeſſarii ſe omnia fidei Myſteria credere reſpondentes, vix unquam aſſequuntur Fidem divinam, quare Confeſſarius iſto reſponſo ordinarie contentus non ſit, ſed quid ſit credere Fide divina paucis edoceat. Pro quo

Sexto. Credere fide divina non eſt mere & nude cogitare de objectis etiam à Deo revelatis, ſed in eo conſiſtit, quod quis habeat firmum judicii aſſenſum circa objecta credenda, & quidem ex ſolo hoc motivo, quia à Deo in dicendo infallibili ſunt revelata, ſi enim quis illis aſſentiatur ex motivo diſtincto, quia Parochus judicatur

doctus,

doctus, est fides humana, nisi in Parocho tanquam Dei ministro apprehendat authoritatem Dei revelantis.

Septimo. Quod attinet objecta, quibus assentiri tenemur, in ordine ad eliciendum actum Fidei, communiter statuitur, quod quilibet adultus rationis usu præditus firmiter credere teneatur Deum existere, & esse remuneratorem, ut ait Apost. Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Quare confixa est ab Innocentio XI. hæc propositio 22. *Non nisi fides unius Dei necessaria est, non autem explicita remuneratoris.* Dolor nequit esse supernaturalis, nisi credatur Deum esse authorem & principium bonorum supernaturalium & remuneratorem præmii æterni per fidem nobis revelati.

Octavo. Necessaria quoque est explicita fides Christi Salvatoris, *dedit* enim *potestatem* Joan. 1. *filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus,* sicut & Joan. 17. *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*; eandem fidem necessariam esse circa Mysterium Ss. Trinitatis deducimus ex propositione 64. ab Innocentio XI. damnata: *absolutionis est capax homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Ss. Trinitatis &c.*

Nono. Quodsi rudis interrogatus manifestet, prædicta mysteria Incarnationis & Ss. Trinitatis

se

ſe explicite non credere & ſubito mortis periculo expoſitus deſuper prolixè inſtrui haud poſſet, poteſt & debet ea in tantum doceri, ut oſtendat deſiderium ea pleniùs diſcendi, ſeu ut credat *in voto*, & doleat, ſe antea neglexiſſe Catechiſmum. Si adeo ſit mentis compos, ut poſſit hanc ignorantiam manifeſtare, etiam doceri ſummatim poterit, quid credere debeat, alias de homine ignoto Chriſtiano præſumi poteſt, eum hæc ſufficienter ſcire; ſi reipſa neſciat, applicari poterit illa ſententia Domini: *qui ignorat, ignorabitur*; præſtitoque pœnitentiæ ſigno, ſub conditione abſolvit poterit, cum in extremis extrema ſint tentanda, & Sacramenta ſint propter homines. Si reconvaleſcat, inſtrui & peccata ſua confiteri debet, ut abſolutè abſolvi poſſit.

Decimo. Cum juxta S. Auguſtin. de fid. & oper. c. 1. *Unusquiſque ſcire teneatur legem & ſtatum quem profitetur*, graviter contra ſimilia delinquentes non excuſabit ignorantia utpote craſſa & culpabilis, proin ignorantia illorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti, non poteſt non eſſe peccatum, & quidem grave pro gravitate materiæ, unde in actis Eccleſ. Mediolanenſis p. 4. S. Carolus ait: *Chriſtianus omnis, ſi adultus eſt, ſub pœna peccati mortalis ſcire debet articulos omnes Symboli Apoſtolorum, inſuper & præcepta Dei, ſanctæque Matris Eccleſiæ univerſa, quæ ſub mortali obligant, & docentur communiter in Scholis doctrinæ Chriſtianæ*, nempe quoad ſubſtantiam; etſi non poſſit ordinatè totam eorum Seriem recitare ex memoriæ defectu, aut ne-

neglecta inſtructione non poſſit reſpondere ſigillatim e. g. quomodo vocetur judex, qui Chriſtum ad mortem Crucis condemnavit, quomodo Chriſtus ſit conceptus, & natus. Quorſum iverit poſt mortem. Quodnam ſculptile prohibitum. Quis ſit Sacerdos proprius &c. Hiſce in Concil. Mediolan. additur oratio Dominica & ſalutatio angelica. Interim

Undecimo. Longe aliter ſe gerant Confeſſarii in adminiſtratione hujus Sacramenti, dum quid deeſt, quod requiritur de neceſſitate medii, quam dum *ſolum* de neceſſitate præcepti, nam inculpabilis etiam qualiſcunque omiſſio alicujus neceſſarii neceſſitate medii Sacramentum reddit invalidum, nec ulla unquam cauſa ſupplet defectum, aſt ſubinde juſta aliqua cauſa ſupplet defectum alicujus neceſſarii neceſſitate præcepti.

Duodecimo. Prædicta objecta ſimplicibus modo aliquo intelligibili proponantur, ubi præcipue illis inculcandum, quod objecta iſta ſint à Deo revelata, & per Eccleſiam tanquam columnam veritatis ut credenda exhibeantur, adeoque firmiſſime quilibet illis aſſentiatur neceſſum eſt, cùm fidei divinæ nequeat ſubeſſe falſum.

Decimo tertio. Si pœnitens inattenta credendorum propoſitione adeo ſtupidus inveniatur, ut nequidem neceſſaria neceſſitate medii capere valeat, inquirendum eſt, an hæc pœnitentis adulti hebetudo (puer enim hujuſmodi ſine abſolutione dimittatur) proveniat vel ex mala quadam peccandi conſuetudine, ſicque prius radix iſta

tolli

tolli debet, qua ſublata inſtruendus eſt, & ſuppoſita ſufficienti inſtructione abſolvendus, vel an oriatur ex naturali complexione, cujus ſignum eſt, ſi in aliis negotiis temporalibus æque ſtupidus deprehendatur, & honeſtum à turpi, damnoſum ab utili diſcernere in quotidiana cum Sociis converſatione non poſſit, tunc Actibus Fidei, Spei, charitatis, doloris eliciendis erit omnino impar, cum nullam de hiſce Myſteriis cognitionem formare poſſit, & propterea æquiparari poterit fatuo aut infanti; vel denique an fatuitas, & ignorantia ortum habeat ex morbo, ſenectute aut alia ignota cauſa, poſtquam habuit notitiam credendorum, abſolvi poterit, in paſchate, ut S Communionem ſuſcipiat, & in morali periculo mortis, dummodo (ſicut generatim de ſemifatuis reſolvi ſolet) cibum hunc Sanctum aliqualiter agnoſcat, & deſideret, & ad ejus præſentiam motus aliquis reverentiæ patefiat.

Decimo quarto. Actum Spei quoque docet S. Synodus Trident. Seſſ. c. 6. præter actum fidei ad juſtificationem impii requiri, ſciendum ideo, quid & quomodo ſperare debeamus; primum docet Apoſtolus Rom. 8. *Nos autem primitias Spiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exſpectantes*, tenemur proinde à Deo ſperare, remiſſionem peccatorum, gratiam finalis perſeverantiæ, & per hæc media vitam æternam; ſperanda autem hæc ſunt ſine temeraria præſumptione, & firma cum fiducia, quia ſpes Hebr. 6. eſt *anchora animæ tuta & firma*, quæ Rom. 5. *non confundit.* Item debet ſpem comitari *timor Domini*, qui *initium eſt ſapientiæ.*

Decimo

Decimo quinto. Ut rudes in spe firmentur, expedit, ut ejusdem motivum proponatur, quod aliud non est, quam ipsa Dei promissio, qui omnipotens est & fidelis, non enim est *impossibile apud Deum omne verbum*, Luc. 1. *fidelis Dominus*, Psalm. 145. *in omnibus verbis suis*, eo quod *non est Deus quasi homo, ut mentiatur*, *nec ut Filius hominis, ut mutetur.*

Decimo sexto. Præcipua hominis Christiani obligatio est *in Spiritu & veritate adorare*, & amare Deum non tantum ex gratitudinis obsequio, quia à Deo sumus facti & redempti: sed quia nihil amore dignum cogitare possumus, quod amabilitatem suam non habeat ab illo æternæ perfectionis principio, *qui non diligit Dominum, manet in morte*; actum hujus amoris sæpius eliciendum esse docet natura Dei, & natura nostra. Deum tanquam justitiæ fontem diligere incipiat, quisquis ad statum filii gratiæ à statu filii iræ per Justificationem transire desiderat, juxta S. Concilium Trident. signum autem charitatis est obedientia Deo & Ecclesiæ fideliter & constanter exhibita, *qui habet mandata mea* inquit Christus, *& servat ea, ille est, qui diligit me.*

CAPUT XIII.

QUID SPECIALITER CIRCA PARENTES OBSERVANDUM.

Primo. MAxima est Parentum erga liberos obligatio, ut quos carnaliter genue-

runt, Spiritualiter interire non permittant, ac proinde ex lege naturali verum illis, sincerum & prudentem exhibere tenentur amorem, vi cujus semper intenti sint, ut educationem illorum corporalem & spiritualem promoveant, contribuendo illa, quæ vitæ & felicitati temporali prodesse possunt, tum etiam, quæ ad salutem & vitam Christianam necessaria censentur, ad quod maxime conducit bonum à Parentibus præstitum exemplum.

Secundo. In variis ante partum mortaliter peccare possunt Parentes, Mater quidem si concepto fœtu illa peragat, ex quibus prævidet, aut prudenter prævidere debet proli damnum esse oriturum, quod facile contingit nocivo cibo, aut potu; si laborem extraordinarium & vires excedentem suscipit aut nimium saltationi indulget. Pater vero, si nimia uxorem gravidam sævitia, aut afflictione continua premat, aut ad alia proli nociva impellat cum periculo abortûs, ubi perinde est quantum ad peccati gravitatem, an fœtus sit animatus, nec ne, cum tempus animationis non sit certum ob diversitatem sententiæ quorundam Medicorum Philosophis antiquis, Canonistis & Theologis contradicentium.

Tertio. Prolem natam, jure sic statuente, alere tenetur Mater usque ad finem tertii anni, quo finito hæc obligatio transit ad Patrem, donec proles emancipetur, licet hæc spuria fuerit, in defectu tamen Patris alimenta procurare ob paupertatem non valentis, obligatio ista remanet apud matrem, dummodo media sufficientia habuerit.

Quarto.

Quarto, Parentes peccant, si proles natas viis publicis aut templorum foribus exponant ab hospitali enutriendas, si urgens ad hoc agendum & gravis non cogat necessitas, ut evitetur infamia, gravis persecutio, aut aliud incommodum; taliter enim exponentes adducunt liberos in discrimen vitæ amittendæ, & forsan sine baptismo. Ex justitia debet fieri compensatio loco pio, qui hoc onere gravatur sine necessitate, quæ est paupertas & superari non potest; dum illorum est proprios sustentare infantes etiam illegitimos.

Quinto. Honestum est, & propter naturæ dictamen suadendum, ut mater lactet proprium infantem, nec illum sine gravi causa sustentandum committat nutrici ob periculum, ne infans cum lacte nutricis imbibat ejusdem inclinationes ad vitia, ad quæ propendet nutrix.

Sexto. Diligentiam adhibere debent Parentes, ut Filiæ, etiam Monasterium ingredi volenti dotem statui proportionatam tradere valeant; si hoc vel ob avaritiam, vel per negligentiam facere omittant, aut prodigalitate ad id se impotentes fecerint, culpa non vacant.

Septimo. Cum electio statûs debeat esse libera filiis, & filiabus, ita tamen, ut præmittenda sit oratio, consultatio, ac deliberatio, peccant Parentes, qui filium, aut filiam cogunt ad Matrimonium vel simpliciter, vel cum certa persona, quacum non vult contrahere. Similiter ii, qui cogunt filium, aut filiam ad statum Ecclesiasticum, aut Regularem. Quoad filias attenta sexûs fragili-

gilitate, & difficultate ſtatûs Regularis ſpecialiter diſpoſuit S. Synodus Trid. Seſſ. 25. cap. 18. de Regul. excommunicantur omnes cujuscunque dignitatis vel conditionis Clerici, Laici, Sæculares, Regulares, qui quomodocunque cogunt Virginem vel viduam ad habitum cujuscunque Religionis ſuſcipiendum, vel ad profeſſionem; etiam eo anathemate plectuntur omnes Conſilium, auxilium ad id conferentes, item ſcienter aſſiſtentes profeſſioni, aut ſuſceptioni habitûs cum repugnantia voluntatis. Item illi ſubjiciuntur anathemati, qui Virginum, aliarumque mulierum voluntatem ſuſcipiendi veli, vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa impediunt. Ad alios caſus hæc excommunicatio non eſt extendenda, quamvis, qui Filium per ſe vel per alium, vel cogit, vel volentem impedit ab ingreſſu Religionis ſine cauſa, graviter peccet.

Octavo. Summa à Parentibus adhibenda cura, ut proles per bonam & competentem educationem, quæ melior eſt quàm divitiæ multæ, in ſemita juſtitiæ indeſinenter perſiſtant, quid enim Juvat vita, quam educatio Chriſtiana non concomitatur? Quare à primis annis huic officio ſedulo incumbant Parentes, cum à teneris aſſueſcere multum profit, id quod piiſſimo exemplo demonſtravit Tobias ſenior, qui Filio ſuo ſaluberrima dedit præcepta ad vitam pie inſtruendam, c. 4. dicens: *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato conſentias.*

Nono.

Nono. Obligationi jam dictæ non satisfaciunt, sed vere delinquunt coram Deo parentes illi, qui nimio amore cæcutientes, nolunt, (sicut malè fecit David 2. Reg. 13.) contristare Spiritum filiorum, & peccata illorum non impediunt, aut si patrata fuerint, illos desuper corripere negligunt, atque ita scandalosè in causa sunt, quod reus filius, aut filia præteritum non doleat, & futurum non caveat, item si Filios, aut filias cum perversis conversari, aut in mala occasione existere videant, & periculi, aut occasionis fugam urgere omittant. Requiret Deus animas filiorum de manibus Parentum, & puniet detestabilem illam omissionem, sicut expertus est Heli aliàs præclarus Pontifex.

Decimo. Peccare quoque possunt Parentes in correctione per excessum, si vel ex passione quadam aut ex nimio furore, non ex virtute charitatis aut zelo justitiæ delinquentes puniant, vel pœnas infligant justo graviores, & quidem cum notabili læsione, cum dominium non habeant in membra liberorum, sed jus puniendi ad correctionem, quare secundum leges prudentiæ transgressores & rei puniantur, monente Apost. Ephes. 6. *Vos Patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros.*

Undecimo. Excusari non possunt parentes, & tutores, aut curatores, qui sub vana prætextuum apparentia filios ad Scholas hæreticas, aut ad loca acatholicorum mittunt, ut sub Magistro protestante Jurisprudentiam addiscant, & quidem cum maximo laxioris vitæ periculo,

cum ibi rara sit occasio satisfaciendi officiis Religionis catholicæ, frequens cum acatholicis conversatio, & colloquium de articulis controversis, & ad polemicas concertationes non sint antea in Scholis nostris exercitati, & textibus, ac falsa interpretatione tententur, latentes in Protestantium libris errores non animadvertant, & dum audiunt inspersas prælectionibus calumnias, paulatim dubitatione pervertuntur, & à necessaria firmitate excidunt, à via doctrinæ Catholicæ deflectunt, nostris cæremoniis illudunt, authoritatem summi Pontificis despiciunt, Ecclesiæ Ministros contemnunt, & tandem in Libertinismum delabuntur, id quod exulcerata hæc, quæ vivimus, tempora exemplis luculentis testantur.

CAPUT XIV.

QUID SPECIALITER CIRCA FILIOS ET FILIAS FAMILIAS OBSERVANDUM.

FILII & Filiæ familias dicuntur, quamdiu sub patria sunt potestate, horum obligationes scire debet Confessarius, ut inde de illorum peccatis judicare possit, quotuplicis tamen generis sint istorum bona apud Theologos inquirendum, nos specialiter hic examinamus, ad quid isti teneantur erga parentes, & qualiter contra hos peccare possint. Pro quo

Primo. Filii tenentur Parentibus præstare amorem, reverentiam, obedientiam, imo &, exi-

exigente id necessitate, congruam sustentationem. Si enim Lex naturalis obliget parentes, ut procurent filiis, quæ ad corporis & animæ salutem necessaria sunt, etiam eadem hæc Lex adstringit Filios, ut Parentes suos, à quibus post Deum vitam acceperunt, sincerè ament, debite revereantur, in necessitate adjuvent, & justa præcipientibus promptam exhibeant obedientiam, *Filius* enim *sapiens*, & in cunctis obediens *lætificat Patrem*, *Filius verò stultus* & inobediens mœstitia est Matris suæ. Prov. 10.

Secundo. Peccant graviter Filius & filia contra quartum præceptum Decalogi, si parentes interne gravi odio habere præsumpserint, vel etiam externe veri odii aut aversionis signa ostenderint, si illos graviter contempserint, si gravi indignatione aut malevolentia eosdem prosecuti sint, si mortem aut grave aliud malum serio illis optaverint, si vultu, verbis, signis ostendant malevolentiam, & ita se gerant, ut domestici, aliique facilè advertant affectûs filialis ac debitæ pietatis defectum.

Tertio. Gravissima est insolentia filiorum, qui manum deliberate ad percutiendum contra parentes movere attentant, qui illos in judicio de crimine etiam vero accusant, nisi crimen illud sit hæresis, proditio, rebellio & conjuratio contra Principes aut Magistratus, & aliter impediri nequeat, tum enim bonum commune præferendum esse manifestum est.

Quarto. Similiter à peccato non excuſantur, ſi Parentibus egenribus & ſe ſuſtentare non valentibus alimenta neceſſaria non ſubminiſtrent, dum media vel habent, vel ſuo labore poſſunt comparare; ſi illos in infirmitate negligant, aut afflictos non adjuvent, ſi tales ut pauperes agnoſcere recuſent & quidem cum gravi eorum triſtitia. Si Parentibus ſufficienter provideant, & ex cauſa rationabili, & gravi exteriùs tantùm ſimulent ſe non noſſe illos, culpandi non ſunt, quia in hoc Parentes rationabiliter nequeunt eſſe inviti, quod, dum manifeſtatio ob certas circumſtantias foret noxia Filio ob promotionis impedimentum, & parentibus non profutura, diſſimuletur illa propinquitas.

Quinto. Etiam in Spiritualibus, ſi opus fuerit, ſubvenire Parentibus tenentur, ac proinde ſi advertant illos bona aliena retinere, Sacramenta negligere, certa peccata frequentare, aut exiguam illos ſalutis propriæ curam gerere, modeſte & reverenter admonendi ſunt, ut reſipiſcant; & maxime in periculo mortis tenentur curare, ut ſatis mature adeſſe faciant Confeſſarium illorum ſaluti promovendæ neceſſarium, cui confiteri ſoliti fuerunt, ſive is fuerit Parochus, ſive alius etiam Religioſus, quia in illis circumſtantiis expedit eum accerſere, cui majore cum fiducia confiteantur, & de quo magis ſperari poteſt, quod ſint ad ſuſcipienda morientium Sacramenta efficaciùs diſponendi.

Sexto. Culpabiles ſunt, ſi piam Parentum pro ſalute animæ propriæ teſtari volentium intentio-

nem

nem ſine cauſa impediant. Si mortuorum Parentum debita realia, & perſonalia, quibus tanquam hæredes ſatisfacere tenentur, non perſolvant, aut mora non excuſabili differant; ſi legata in teſtamento expreſſa non adimpleant, aut male acquiſita non reſtituant, in hiſce enim obligatio Parentum tranſit in filios.

Septimo. Si Filius familias rem notabilem de bonis paternis ſurripiat, peccati gravitas aut levitas una regula definiri nequit, ſed ne vel nimis facile Filiis ingeratur conſcientia peccati mortalis, vel laxentur habenæ ad furandum, ſpectari debent Parentum ſtatus, facultates, affectus in liberos, multitudo prolium, & finis ad quem res iſtæ ſumuntur, ſi enim Parentes ſint divites, ſed ex avaritia negent neceſſaria, poteſt cum Conſilio alicujus prudentis, & docti honeſté accipi, quantum neceſſe eſt, Parentes cenſentur minùs inviti, ſi paucæ ſint proles, quam ſi ſint mediocris fortunæ, & pluribus gravantur prolibus, aut ſi res ſumatur ad vanum, aut illicitum finem. Summa reputatur gravis, cujus ablatio ſpectatis jam dictis ad gravem offenſam merito commovet Parentes de prolis ſalute ſollicitos.

Octavo. Quæ Filius invito rationabiliter Patre injuſte ſubduxit, attenta gravitate materiæ, mortuo Patre tenetur in diviſione hæreditatis parti ſuæ ſubtrahere, cum exigat juſtitia, ut cohæredes ſerventur indemnes, & æqualitas obſervetur, excipe, niſi parentes id ſcientes ultro condonaverint, vel tanquam ad ſtudia, vel opificium applicata remiſerint, quia tunc cohæredes invit eſſe nequeunt.

CAPUT XV.

PROPONUNTUR OBLIGATIONES DOMINORUM ET FAMULORUM, ET ILLARUM OBLIGATIONUM TRANGRESSIONES.

Primo. CUram Dominorum circa ſubditos exprimit Apoſt. 1. Timoth. c. 5. his verbis : *Siquis ſuorum, maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*, quare Domini ſubditorum ſalutem procurare, & ex Juſtitia illa præſtare tenentur famulis, ad quæ vi contractûs vel expliciti vel taciti ſe obligaverunt.

Secundo. Sollicitudo Dominorum eò tendat neceſſe eſt, ut ſubditi ad obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ adſtringantur, ſunt enim loco Parentum, unde & occaſiones peccandi tollere, & pericula ab illis avertere tenentur, imo ſi peccaſſe & errâſſe deprehendantur, corrigendi ſunt ſervata lege Chriſti de correctione fraterna, contra hanc legem peccant illi Domini, qui ſtatim delicta à ſubditis commiſſa vel domeſticis vel extraneis manifeſtant, errata tamen levia quandoque attenta fragilitate humana diſſimulare haud illicitum eſt.

Tertio. Propter laborem, quem ſubditi conducti impendunt, digni ſunt, ut alimenta convenientia recipiant, & mercedem juſtam, quæ attentis circumſtantiis loci, temporis, ac pro tali ſervitio ejuſmodi hominibus tribui ſolent, hæc

enim

enim si negent, non tantum contra justitiam agunt Domini, sed & subditis furandi occasionem sæpe subministrant, audiatur S. Paulus Coloss. 4. *Domini, quod justum est, & æquum, servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.*

Quarto. Sunt qui famulos & famulas tanquam mancipia tractant, adeo ut illos ante tempus discedere cogant, vel etiam sine omni causa tempore necdum finito dimittant, in quo non tantum graviter delinquunt Domini, sed etiam abeuntibus aut taliter dimissis integram mercedem exsolvere tenentur, quia famulantes hujusmodi ordinarie in utroque casu grave patiuntur damnum, adeoque à Dominis damnum illud injuste causantibus debent servari indemnes; nec excusantur plerumque Domini ex eo, quod taliter dimissi totam mercedem non exposcant, sunt enim sæpe pauperes & miserabiles, qui se nihil evincere posse contra Dominos judicant, ac proinde debitum liberè saltem non condonant.

Quinto. Num tempore infirmitatis teneantur illis subministrare alimenta, resolvendum est, quod ad longum tempus non teneantur, ad breve tempus ægrotantibus alimenta denegare illicitum est, quia in conductione famulorum tacite ad id se obligârunt Domini, medicinas tamen sibimet ipsis procurare debet famulus, si herus hoc opus charitatis præstare non vult.

Sexto.

Sexto. Prudens eſt vigilantia, nec inanis Dominorum timor, ne à famulantibus defraudentur, quia metus iſte fundatur in periculo communi; adeoque & prudenter faciunt alii, quêis famuli operam ſuam addicere intendunt, ſi in mores & vitam illorum inquirunt, quo in caſu ſi prior Dominus interrogatur, plus dicendum non eſt, quàm quod conducit ad cautelam futuri Domini.

Septimo. Famuli & ſubditi tenentur obedire Dominis in illis, quæ ſpectant ad bonos mores & vitam chriſtiane inſtituendam, ſunt enim Domini reſpectu ſubditorum quaſi parentes comprehenſi ſub quarto Decalogi præcepto, *honora Patrem & Matrem, ut ſis longævus ſuper terram*, ac proinde ſi in prædictis inobedientes fuerint, graviter delinquunt.

Octavo. Famulum ſine cauſa diſcedentem ante tempus, & poſtea mutata mente redeuntem recipere quidem non tenetur Dominus, mercedem tamen, niſi damnum paſſus fuerit, tempori famulatus proportionatam injuſtè denegat, cum operarius dignus ſit mercede ſua.

Nono. Si in ſervitio debito notabiliter negligentes deprehendantur, adeo ut damnum notabile patiantur Domini, peccant contra fidem datam, & damna illata compenſare tenentur, quorum cauſa fuerunt, dum obſequium fidele non præſtant, quale ab hujuſmodi exhiberi debet.

Decimo. Nimia eſt illorum confidentia, qui occulta ſæpe utuntur compenſatione prætendentes ſtipendium laboris nimis eſſe exiguum, quia libere in illud conſenſerunt tempore, quo contractum inierunt; ut compenſatio illa ſit licita, præcipue inter alia requiritur, ut ſit debitum juſtitiæ, idque certum vel nunc vel proximè præſens, hæc autem conditio plerumque deficit in famulis, qui amore lucri excæcati judicant ſe minus juſto recipere, cum alii eâdem mercede libenter ſervirent. vid. propoſ. 37. ab Innocentio XI. damnata : *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulta heris ſuis eripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.*

Undecimo. Non tantum pro ratione materiæ peccant famulantes reſtitutioni obnoxii, ſi res Domini rationabiliter inviti ſurripiant, aut aliis donent, ſed etiam ſi damna Dominis inferenda non impediant, ſi commode id fieri poſſit, non impedientes ſemper peccant contra charitatem, contra juſtitiam verò tunc, dum non impediunt damna in illis rebus, quæ ſpecialiter eorum curæ ſunt commiſſæ, etſi damna inferantur à domeſticis; quæ ſi inferri videant ab extraneis, licet res ſpecialiter non ſit commiſſa, adhuc peccant contra juſtitiam non impediendo, eo quod cenſeatur eſſe juris gentium, quod cuilibet famulanti res Domini commiſſa ſit contra injurias extraneorum.

Duodecimo. Surripientes quædam ex rebus ordinariis ad comedendum aut bibendum deſtinatis,

natis, rarius peccant mortaliter, si ipsimet res istas consumant, quia in his Domini censentur minùs inviti, non est interim in similibus laxanda famulantium libertas, sed potius coërcenda, ne, dum congruo cibo, potuque sustentantur, ad serviendum ventri delicatiora suffurentur, & paulatim ad graviora furta procedant, cum nemo repente fiat pessimus. Certum omnino est graviter peccari, si res pretiosas v. g. vinum in notabili quantitate etiam successive auferant, aut etiam res ordinarias in magna quantitate aliis vendere aut donare præsumant.

Decimo tertio. Excusatur famula, quæ de accepta pecunia pro rebus emendis, quas minori pretio emit, partem restantem retinet in bonum domûs alias impendendam, ne postea à Domina reprehendatur, si cariori pretio res eadem emenda sit, quia injustam hanc reprehensionem subire non tenetur.

Decimo quarto. Peccat, si rem quampiam rigide contrahendo viliori pretio emens, detractam de communi pretio pecuniam sibi in propriam utilitatem reservet, quia pecunia ista manet sub Domini dominio, qui ex justitia ipsi nihil debet pro industria, quâ voluit utiliter gerere negotium Domini; idem tenet, si Dominus pretium pro rebus emendis & vendendis taxaverit, famula autem res istas minori pretio emat, aut majori vendat, quia Dominus censetur taxasse pretium, ne famula pluris emat, vel minoris vendat.

Decimo quinto. Quantum ad eleëmoſynas pauperibus erogandas, ſolliciti ſint famulantes, ut ſeſe Dominorum piæ voluntati conforment, & fideliter, num in tales eleëmoſynas conſentiant, interrogare non detrectent, præcipue ſi miſericordes aliàs inveniantur, pauperibus elargiri poterunt famulantes, rem alias certo corrumpendam ob præſumptam rationabiliter voluntatem domini. Si herus per avaritiam non det eleëmoſinas, ad famulum non ſpectat ſupplere hunc defectum occultis eleëmoſynis; Uxor in eo caſu poteſt ſtatui convenientes elargiri.

Decimo ſexto. Qui famulantur Proteſtantibus, exponunt ſe periculo perverſionis, aut transgreſſionis præceptorum Eccleſiæ, ideo à Confeſſario, aut Parocho diſſuadendum, præſertim ſi lucri majoris cauſa tranſitus fiat ad terras hæretico dominatui ſubditas. Si autem Parochus ex circumſtantiis noverit abeſſe periculum, moneat, ut frequenter Ss. Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſcipiantur, & ſcandaloſa transgreſſio præceptorum Eccleſiæ de auditione Sacri, & abſtinentia caveatur. Si compererit Parochus, tentari famulum aut famulam hero acatholico ſervientem, ut obſervantiam Sacrarum legum omittat, aut derideri Papam, Sanctos, Purgatorium, Cæremonias, ſtatum Regularem &c. dicatur, quod ſub mortali teneatur exire ſervitio, *ne animæ detrimentum patiatur.*

Decimo ſeptimo. Illis, qui ſe hæretico cuidam de Conſilio Parochi aut Confeſſarii addicunt, ſuadendum eſt, & penitus inculcandum, ut provide

antea

antea ineant pactum inviolate servandum, vi cujus detur libertas observandi mandata Dei & Ecclesiæ diebus jejunii, Dominicis & Festis Catholicorum, & ne ab aliis per dicteria molestentur, quo in casu, si fidem datam non servent Protestantes, eadem cum antecedente est Catholicorum servientium obligatio, ut scilicet servitium deserant, ne salutis naufragium faciant.

Decimo octavo. Directe & proxime cooperari peccato Dominorum illicitum, remote tamen concurrere attenta conditione famulantium non est peccaminosum, unde servus deferendo scienter literas ad amorem lascivum provocantes culpabilis habetur, famula vero carnes coquens & in diebus prohibitis apponens excusatur, quia cooperatio ejus est tantum remota, & quod Dominus comedat carnes, ipsi, non famulæ culinariæ imputatur, sicut vehenti rhedam ad Synagogas acatholicas non imputatur, quod ibi Dominus cætui hæretico assistere intendat.

CAPUT XVI.

INSTRUCTIO PRO CONFESSARIIS CIRCA CONJUGES.

Primo. CAutissima sit Confessarii cum mulieribus conversatio, nec nimium fidat propriæ sanctitati aut sapientiæ, vicissitudines attendat sanctorum Samsonis, & Davidis, item Salomonis, de cujus salute æterna dubitatur. Sane assidua familiaris conversatio, & quasi quotidianus

tidianus accessus si non sit ipsa carnalitas, ejus plerumque mater fœcunda existit, nec prætextu sancti colloquii talis familiaritas obtegatur; scit enim vaferrimus tentator se facilius per speciem virtutis intento suo potiturum, congressio ad directionem conscientiæ necessaria breviter absolvatur, ne aliis malæ suspicionis subministretur occasio.

Secundo. Sæpe uxores in judicio pœnitentiali de maritis quæruntur, quod graves perferre cogantur molestias, quod variis sint vitiis obnoxii, hæc audiens Confessarius non statim culpam omnem conjiciat in virum, videat, annon ex inordinato sui amore se innocentem, maritum reum uxor arbitretur, de mariti peccatis loqui potest, quatenus necesse est ad propria peccata explicanda, pati molestias non est peccaminosum, sed meritorium, si nihil dicat de vindicta, talione, scandalosa irritatione, malis propositis, sed tantum recitet peccata mariti, confessio non est bona; moneatur itaque, ut, quæ sua peccata sint, aperiat. Cavendum est, ne ipsa Confessarii Consilio ac Judicio abutens marito, tanquam solus sit reus, resistat audacius, & graviora mala sequantur, potius ad patientiam hortetur, proponat conjugum obligationes, quæ ad individuam vitæ Societatem, ad debitum conjugale, proles generandas, & educandas spectant.

Tertio. Requirit autem individua vitæ Societas 1*mo* amorem conjugalem, cujuscunque hominis amori præferendum, de quo Apostolus: *Viri diligite uxores vestras sicut & Christus di-*

lexit Ecclesiam Ephes. 5. debet amor ille esse reciprocus, cum uxores ad Tit. 2. moneantur, ut *viros suos ament*. Contra hanc legem sunt ira, rixæ, exprobationes, Zelotypiæ vitium, & quæ inde sequuntur. 2*do* Subjectionem uxoris ad virum, non ancillarem, ait enim Adam Gen. 3. *quam dedisti mihi sociam*. Apostolus ait; *vir Caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ* Ephes. 5. unde fideliter uxor subalterna directione tenetur marito in regimine domûs assistere, & ei obedire, si prohibeat indecentem *capillaturam, vestimentorum cultum* 1. Petri 3. otiosas conversationes, & vanitatem sumptusque superfluos. Maritum propter honorabile officium, mercaturam alio domicilium transferentem debet uxor sequi, nisi pactum ante Matrimonium de non mutando domicilio præcesserit. 3*tio* Postulat, *cohabitationem* quoad domum & thorum, quia *relinquet homo Patrem suum & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una* Gen. 2. & Matth. 19.

Quarto. Obligationes ad debitum conjugale pertinentes eruuntur ex Scriptura 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro; mulier sui corporis potestatem non habet sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Unde vicissim tenentur sub mortali ex justitia reddere debitum comparti, quoties id se rationabiliter, & serio, seu animo obligandi desiderare significat ob finem matrimonii, & incontinentiæ periculum.

Quinto.

Quinto. Causæ à prædicta obligatione excusantes sunt, infirmitas, ebrietas, non conveniens modus, locus, tempus. Catechismus S. Conc. Trid. de Matr. q. 27. docet à Matrimonii officio, seu usu orandi causa interdum esse abstinendum, *imprimis* (inquit) *tribus saltem diebus ante susceptionem S. Eucharistiæ, sæpius verò, cum solennia quadragesimæ jejunia celebrantur, quemadmodum Patres nostri rectè, & sanctè præceperunt.* Aliquando licet acquiescere petitioni non legitimæ, si aliàs advertat ex denegatione graviora mala esse oritura.

Sexto. Nunquam licet usus matrimonii, si uxor sit penitus destituta usu rationis, item si non intendatur debitus finis, & conjuges, ut ait S. August. non rationi, sed libidini obsequantur. Innocentius XI. damnavit propositionem: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni prorsus culpa caret, ac defectu etiam veniali.* Si post matrimonium etiam bona fide contractum superveniat prudens dubium de valore, dubium Confessario in-aut extra confessionem exponatur, ut congruo remedio curetur dubitantis conscientia; interea debet reddere debitum, ne legitimè post bimestre petentis jus lædat, dum sine gravis damni periculo non potest compartem super dubio informare, & conjunctim dispensationem petere pro casu comperti impedimenti, voto castitatis ligatus petere debitum licitè non potest, sed legitimam dispensationem cum salutari pœnitentia quærere tenetur.

Septimo. Attendenda conjugibus est obligatio ad castitatem conjugalem, hi namque (Tobiæ 6.) qui conjugium ita suscipiunt, *ut Deum à se & sua mente excludant & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.* Patet hinc, tactus ad usum conjugii non pertinentes esse damnatos.

Octavo. Rationalis repræsentatio copulæ conjugalis, qua absens, aut viduus vel vidua sibi per memoriam præteriti temporis proposuit, se obligationi conjugali coram Deo satisfecisse, est honesta & bona; Sensualis autem est mala propter periculum certum, carnalis multo pejor est ob malitiam præsentem.

Nono. Attendenda sunt conjugibus de salute sua sollicitis verba Evangelii: *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mæchatus est eam in corde suo*, ideo cavenda est etiam occultissima mentis perfidia.

Decimo. Quibus licitus est finis, illis illicita non sunt media ad finem obtinendum proximè ordinata, qualia sunt oscula honesta extra casum scandali, quare conjugibus, quænam in isto statu licita sint, interrogantibus respondeat, hæc approbari, quæ conducunt ad finem à Deo constitutum. Moneantur, ut conservent *timorem Domini* juveni Tobiæ commendatum, satis tunc illustrandam esse rationem, ut honestum à turpi probè semper cautéque discernant.

Unde-

Undecimo. Prudenter cavendum, ne rixæ & dissidia conjugalem societatem perturbent, dum pax & tranquillitas inter conjuges pariunt benedictionem, Eccl. c. 25. ait Dominus: *in tribus placitum est Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Et: *beatus homo, qui habitat cum muliere sensata.*

Duodecimo. Ad viri munus pertinere docet Catechismus Trid. semper honestè occupatum esse, ut suppeditet necessaria ad familiæ sustentationem & ne inerti otio languescat, à quo vitia fere omnia fluxerunt, deinde familiam rectè constituere, mores omnium corrigere, singulos in officio continere, quod dum negligit, continuo in statu peccati miserè permanet. Mulier christiana cum patientia exspectet tempus correptioni opportunum, ut cessante ebrietate aut ira ejus hortetur ad illius turpitudinis agnitionem, si effectus speratus nunquam sequatur, apud Parochum, aliumve discretum quærat media rebus accommoda.

Decimo tertio. Quantum ad sponsos singulariter concludendum, quod sponsalia per se loquendo gravem inducant obligationem ineundi matrimonium, & per consequens sponsi, qui datam fidem sine causa exsolvere recusant, absolvi non possint, quia gravis injustitiæ rei arguuntur. Si tempus à sponsis præfixum fuerit, justa causa non excusante dies interpellat pro homine, si autem tempus statutum non fuerit, tenetur quilibet sub culpa gravi, quando alter

consideratis circumstantiis id rationabiliter exigit; generaliter longa dilatio matrimonii post sponsalia inita valde periculosa est; quamdiu differri possit sine peccato, ex circumstantiis prudenter concludendum.

Decimo quarto. Sponsis plura non licent, quàm solutis, unde quæcunque libidinosa conversatio graviter prohibetur, cum sponsalia actus aliàs turpitudine infectos honestare nequeant, nec licet illis delectari de copula in futuro matrimonio habenda ob periculum præsens consentiendi. Fornicatio sponsi cum alia, aut è contrario addit malitiam injustitiæ specie distinctam, ob perfidiam, qua pars innocens injustè læditur. ita Theologi multi

Decimo quinto. De viduis 2. Timoth. 5. dicitur: *Quæ autem vere Vidua est, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus die ac nocte, nam quæ in deliciis est, vivens mortua est, & hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.* Ex his Confessarius viduis suadeat vitæ honestatem & integritatem, quá soli Christo placere studeant, commendet orationis studium, ne incidant in laqueum Diaboli, præcipue si tentationes suboriantur, aut insurgant cogitationes circa actus in priori conjugio exercitos, cum graviter culpabiles sint, si pro statu viduitatis venereè delectentur de copula v. g. prius habita, quæ nunc illicita; denique, quia plerumque sunt lapis offensionis, patientia in adversis præcipue necessaria est, ut reportent repromissiones.

CAPUT

CAPUT XVII.

QUID CIRCA ALIOS POENITENTIUM STATUS OBSERVANDUM.

Materia hæc utpote nimis prolixa in paragraphos dividitur, unde ſit.

§phus 1mus.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

Primo. CLerici in ſortem Dei electi, quorum lux coram hominibus luceat neceſſe eſt, ut videant opera illorum bona, & glorificent Patrem, qui in cælis eſt, damnabili ſæpe laborant vitio Simoniæ, quæ, pro notitia Confeſſarii, eſt ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali adnexum pretio temporali, quæ ſive ſit *juris Divini* utpote ab intrinſeca quadam indecentia proveniens, ut dum per pactum convenitur de commutatione rei temporalis pro re ſpirituali, ſive ſit *juris Eccleſiaſtici*, dum prohibita ab Eccleſia permutatio Beneficiorum ſine interveniente legitima Superiorum authoritate committitur, eſt peccatum mortale contra Religionem, & ſpecies Sacrilegii; eſt quoque contra juſtitiam, ob defectum tituli, & materiæ legitimæ; unde omnes actus Simoniaci ſunt irriti, teneturque Beneficiatus in conſcientia Beneficium Simoniace obtentum dimittere, & fructus perceptos reſtituere etiam ante Judicis ſententiam. vid. Cl. *Antoine de Simonia.*

 Secundo.

Secundo. Negligentes aliquoties existunt in persolvendis horis Canonicis, ad quas vel ratione ordinis Sacri, vel beneficii obligantur, debita in illis Deum colendi debet servari intentio, & competens attentio. Clerici scienter notabilem partem omittentes, à delicto gravi non excusantur, imo Beneficiati officium Canonicum vel aliquas horas voluntarie non persolventes fructus restituere tenentur respective ad omissionem, de qua obligatione nonnunquam sunt commonendi, & si prævideant se post prandium à recitatione vesperarum impediendos esse, ante prandium prævenire debent, quia Lex moraliter obligat. Improbanda hic maxime est praxis multorum recitationem horarum in plenam noctem differentium, aut ad periculosam potationem anticipantium.

Tertio. Reprehendendi vel maxime sunt etiam Clerici personas suspectas contra Ecclesiæ constitutiones, & Ss. Canonum ordinationes domi retinentes, aut conversationi illicitæ & scandalosæ deservientes, nec hic adsit personarum acceptio, adeo ut tanquam indigni debeant sine absolutione dimitti, si ad similes ejiciendas efficaciter parati non fuerint, proponendum illis est, quod ex ægypto egressos, ad ægyptiacas immunditias redire nefas sit.

Quarto. Culpabiles graviter sunt, si reditus beneficiales superfluos non impendant piis caussis, sed consanguineis non indigentibus, luxui vestium, conviviis immoderatis &c.; quem abusum omnino tollere volens *Benedictus XIV.* inquit:

inquit: *urgeant Episcopi, & inculcent suis Clericis obligationem gravem, quam habent, elargiendi pauperibus bona superflua.* Nec hìc scrupulose inquiratur radix hujus obligationis, sufficit enim præceptum grave ab omnibus Doctoribus agnosci, sive justitiæ dicatur, sive charitatis, cum uterlibet titulus sufficiat ad damnationem.

Quinto. Graviter delinquunt, si animum bonis temporalibus nimiùm affigant, & abominandam contrahant avaritiam quasi in æternum hic victuri, damna inde secutura ostendit Apost. 2. Timoth. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.* Hæc dum omnibus per eum dixit Spiritus Sanctus, magis vehementer direxit ad eos, quos voluit *irreprehensibiles.*

Sexto. Si Parochus sit, tenetur residere in Parochia, ita ut non liceat ab illa abesse sine rationabili causa, & Episcopi licentia ultra duos menses, alioquin graviter peccat, teneturque fructus restituere correspondentes tempori absentiæ & quidem totos juxta communiorem opinionem, etiam ante sententiam judicis, ut statuit Trident. Sess. 24. c. 1. de reform. Inter justas causas ulterioris absentiæ à Trident. numerantur sequentes: Christiana charitas, si id exigat gravis necessitas proximi, urgens quoque necessitas, qualis est gravis corporis infirmitas, aut compositio litis de juribus Beneficii, obedientiæ etiam,

& evidens Ecclesiæ aut Reipublicæ utilitas, ob has causas licentiam dare potest Episcopus, quæ dari debet *in scriptis.*

Septimo. Confessarius Parochorum scire debet, quod illi verbo non tantùm, sed & exemplo aliis prælucere teneantur, verbo quidem, ut subditos instruere non desinant in illis, quæ scitu sunt necessaria, & ad vitam Christiane instituendam maxime conducunt; exemplo autem, ut sint lucerna posita super candelabrum lucens omnibus, qui in Parochia sunt, ac proinde verbo non ædificant, si exemplo destruant, & timendum illis, quod Deus minatur *Jerem.* 23. *Væ Pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.*

Octavo. Sacramenta fideliter administrare illorum est officium; sunt enim quasi milites conducti stipendio, & hæc obligatio de se gravis etiam instante vitæ periculo non extinguitur, cum animam suam debeant ponere pro ovibus, quare si infans illorum culpa sine baptismo decedat, aut alius infirmus illorum negligentia sine consuetis Sacramentis moriatur, mercenarii sunt graviter culpabiles, & *oves perditas de manu eorum requiret Dominus*, ùt minatur per prophetam.

Nono. Si obstetrix in necessitate infantem baptizaverit, inquirendum à Parocho, qua materia, & qua forma usa fuerit, qualem infantis partem abluerit, an omnino perturbatè processerit, quia si prudens de valore baptismi taliter collati insurgat dubium, sub conditione infans

est

eſt rebaptizandus: ut autem omnia rite fiant, obſtetrix prævie circa hanc materiam examinetur à Parocho, & ſi minus habens inventa fuerit, omni modo informetur.

Decimo. Cum *Trident.* Seſſ. 7. c. 3. de reform. ad omne Beneficium curatum Cathedrali inferius requirat induſtriam perſonæ, vix excuſari poſſunt à mortali Paſtores actuales, ſi ſemper, aut fere ſemper officia curæ Paſtoralis, dum ipſi poſſunt, per alios exerceant, ut commodius genio indulgeant. Paſtores habituales, per privilegium aut conſuetudinem à cura per ſe exercenda liberi, quales ſunt Decani, aliique Eccleſiæ Prælati, officium Parochiale per alios tanquam Vicarios perpetuos, aut ſi Epiſcopus conceſſerit, per temporales exercere poſſunt: imo habituales nequidem poſſunt tanquam Parochi validè aſſistere marimonio, ſed copulatio ad Vicarios perpetuos pertinet.

Undecimo. Tenetur Parochus diebus Dominicis & Feſtis de præcepto, quibus fideles tenentur audire Sacrum, Miſſam applicare pro Parochianis, quare illis diebus ſtipendium pro Sacro admittere non poteſt. Vid. Conſtit. Benedicti XIV. 1744. 19. Auguſti.

Duodecimo. Parochis, in quantum ſunt Eccleſiarum Rectores, gravis incumbit obligatio, ut curent munditiem in Sacris veſtibus, in ipſo templo, & Sacrario, indecens enim eſt, ut locus, quem Majeſtas Domini implet, velut ſpe-

ſpelunca appareat, & major cura menſis propriis, quàm Sanctis Altaribus, ſeu Menſæ Domini adhibeatur.

§phus 2dus.

INSTRUITUR CONFESSARIUS CIRCA MERCATORES.

Primo. MErcatores in vendendis rebus ſi juſtum pretium excedant, peccant pro ratione materiæ, & ad reſtitutionem obligantur, vendentes tamen in parva quantitate & minutim plus exigere poſſunt, quàm qui ſimul & in magna quantitate vendunt, quia iſti in diſtractione rerum majorem diligentiam impendere debent, ſubeuntque majus periculum, & labor, qui ab inſtitoribus impenditur, utilis eſt communitati, ideoque compenſabilis.

Secundo. Pretium valorem rei adæquans duplex eſt, *legale* ſcilicet quod à lege, vel decreto Principis aut Magiſtratûs ſtatutum obſervari debet ex juſtitia & ſub onere reſtitutionis, & *vulgare*, quod uſu, & placito mercantium inducitur, eſtque ſummum, medium & infimum, ubi in communi venditione, quando pretium medium ſunt decem, infimum erunt novem vel octo & medium, ſummum vero undecim, vel undecim & medium, quod cæteris applicari poteſt cum proportione.

Tertio. Triplex illud pretium vulgare juſtum eſſe conſtat inde, quia pretium commenſuratur æſtimationi vulgi, quanti verò res vendibiles à

ſingu-

ſingulis æſtimentur, fixè determinari non poteſt, hinc eſt, quod eadem res e.g. pratum ab uno centum, ab alio centum & quinque, ab alio nonaginta novem Imperialibus taxetur, & nullus eorum trium poſſit dici reus injuſtitiæ. Suadeat Confeſſarius, ut vendentes communem uſum timoratorum ſequantur.

Quarto. Variis modis pretium creſcere, vel decreſcere poteſt, ſi magna mercium copia apud plures aſſervetur, & ementium parvus ſit numerus, pretium illarum imminui patet, ſicut ſtante mercium raritate, & illas emere volentium multitudine, pretium augetur, pluris etiam vendi poteſt res aliqua ob ſpecialem venditoris affectum erga rem, quam mallet ſibi ſervare, quàm alienare, ſi talis propenſio ſit vera, non autem dolosè ficta, & emptori aperiatur, penes hunc ſtat libertas vel cariori pretio emendi, vel rem Domino ſuo relinquendi.

Quinto. Mercator ſciens pretium mercis brevi eſſe minuendum, merces, quas habet, vendere poteſt currente pretio adhucdum juſto. Si è contrario illarum pretium augendum eſſe audierit, etiam in magna quantitate illas nunc emere poteſt eo animo, ut poſtea pluris vendat, cum pretium currens ſit juſtum, & tum prior vendens, aut poſterior emens vigilantia ſua, & induſtria honeſtè lucretur, & in priori caſu emptores, in poſteriori venditores dolo malo non fallantur. Verum an idem dicendum de illo, qui ex ſcientia pretii augendi omnes omnino merces ſolus emit? *Reſp. Affirmativè*, niſi per mono-

monopolium intendat lucrum exorbitans bono communi præjudiciale, contra quod authoritate publica poteſt opponi remedium.

Sexto. Dominus quidam dum certam frumenti quantitatem efficaciter nunc vendere intendit, famulus una cum aliis ſciens pretium eſſe augendum, licite frumentum emit pretio currente, de quo inter ſe conveniunt Dominus & famulus, quare, numerata domino pecunia, lucrum ex futura venditione obveniens ſibi retinere poteſt, quia hic æque ac alii, jus habet emendi.

Septimo. Non excuſantur mercatores ab injuſtitia pretium juſtum excedentes ideo, quia emptor rudis & ignorans plus offert. Præſumi non debet gratuita merè liberalis donatio, quia, qui per ignorantiam decipiuntur, fraude comperta jure indignantur decipientibus.

Octavo. Legitima ſit vendentium menſura, ut cuique ſuum tribuatur ad æqualitatem pretii, ubi ſi injuſte menſurando notabile, vel etiam leve quidquam ſemper detrahant cum animo ſucceſſive perveniendi ad quantitatem gravem, peccant mortaliter illi per quantitatem materiæ, hi verò ob perverſum affectum ſibi lucrum notabile de alieno comparandi, illi ſub mortali ad reſtitutionem tenentur, nec abſolvendi ſunt, niſi ad ſatisfaciendum huic obligationi ſe promptos exhibeant, non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, hi verò confiteri tenentur perverſam intentionem, non verò graviter ad reſtitutionem obligantur

Nono.

Nono. Committit gravem injuſtitiam, adeoque reſtituendi obligationem contrahit mercator, qui emit frumentum, & illud menſurare volens mutuo accipit menſuram vicini, quam ſcit notabiliter propriâ juſtâ majorem, in venditione autem utitur propria menſura minore; ſic enim, damnificat vendentes. Prov. 20. *Abominatio eſt apud Dominum pondus & pondus, ſtatera doloſa non eſt bona.*

Decimo. Vendens ut ſincere procedat, fraudem evitare tenetur, ſicut & interrogatus manifeſtare rei vendendæ vitia gravia & occulta, præcipuè ſi talis ſit defectus, ut emptor ea re uti non poſſit ad finem à ſe intentum. Si defectus fuerit minoris momenti, non tenetur venditor manifeſtare, ſed ſufficit vendere pretio minori juxta proportionem latentis defectûs reipſa aliquatenus damnoſi. Ratio eſt, quia emptores ſolent exaggerare defectus, ut viliori pretio emant. Prov. 20. ait Salomon: *Malum eſt, malum eſt, dicit omnis emptor, & cum receſſerit, tunc gloriabitur.*

Undecimo. Vendens rem mixtam alia viliore, injuſte decipit emptorem, quia ordinarie talis mixtio aut noxia eſt, aut rem ipſam reddit ſaltem deteriorem, ſicque ad pretium ementis non habetur proportio, ſi tamen per induſtriam res deterior ita admiſceatur, ut melius temperetur, tunc ſervata proportione res minoris eſt vendenda, ſed mixtionem utilem indicare opus non eſt. Univerſim ex œnopolæ judicio de mixtione vini judicare latam fraudibus aperiret viam, quilibet enim venditor vini facilè ſibi perſuade-

ſuadebit, vinum manere æquè utile ac bonum, imò melioratum facta mixtione. In eadem ſpecie frumenti poteſt eſſe notabilis diverſitas pretii, ut patet in hordeo verno, & autumnali, patitur ergo emptor damnum certum per verni immixtionem.

Duodecimo. Mercatores, dum dicunt merces ſibi pluris conſtare, etſi, dum e. g. Francofurti emebant, minùs ſolverint, tunc à mendació excuſantur, & perjurii rei dici non debent, ſi jurent merces majori ſibiipſis pretio conſtare, quia ut ſupponitur, intelligunt computatis expenſis, & damno valoris monetarii, & penſione annua, ſibi ipſimet merces pluris conſtare, nec tali pretio dari poſſe, quale offertur, mos tamen taliter aſſeverandi cum juramento debet à Confeſſario diſſuaderi, cum talia juramenta habeant defectum judicii, etiam ſæpe veritatis, dum facilè contingit rem incertam jurari tanquam certam.

Decimo tertio. Sunt, qui ſæpe optant, ut ementes ad ſuam veniant officinam, dum illos vident frequentare officinas alienas, imò ſæpe deſuper triſtantur, in quo non ſtatim ſunt arguendi, ſed inquirendum, quis ſit deſiderii ejuſmodi, aut triſtitiæ finis, ſi enim attendant præferendam eſſe ordinata charitate dilectionem ſuî ipſius dilectioni proximi, & præcisè, quod ementes non potius ad ſuam, quàm ad aliorum divertendo officinam, aliis, non ſibi proſint, non peccant; ſi autem doleant de vicinorum commodo, invidiæ notam incurrunt; omnino innocenter optant, & à Deo petunt, ut ſimilem lucri occaſionem ejus benedictione conſequantur, eumque in finem

nem pia faciunt Propoſita piis operibus merendi eam benedictionem.

Decimo quarto. Caupones ebrietatis periculum prævidentes in hoſpitibus ſolius lucri gratiâ ulteriorem potum præbere non poſſunt, ſi tamen graviora exinde timeantur mala, petentibus licite propinant, permiſſive ſe habendo ad illorum ebrietatem, ut docet S. Auguſtinus Serm. 231. de temp. his verbis: *tu eum* noli adjuvare, noli cogere, ſed in poteſtate ejus dimitte, ut, quantum ſibi placuerit, bibat, ſi ſe inebriare voluerit. Occultè vino aquam admiſcere, ne inebrientur, detracto pretio illicitum non eſt; pariformiter ſolius lucri gratià cibi ab Eccleſia prohibiti dari nequeunt, poterunt autem tunc, ſi incommodum verè grave metuatur, aut graviora peccata e. g. blaſphemiæ, maledictiones.

§phus 3tius.

QUÆNAM OBLIGATIONES, ET QUI DEFECTUS OPIFICUM.

Primo. OPifices in arte, quam profitentur, ſint verſati neceſſe eſt, cum ex imperitia illorum ſæpe alii patiantur damna, quorum cauſa exiſtunt, quod ſi tamen periti artefacta confecerint, pro illis pretium & materiæ & labori conveniens jure ſuo exigunt, dignus eſt enim operarius mercede ſuâ, & merces operariorum defraudata inter peccata in cælum clamantia numeratur.

Secundo. Siquid ex materia traditâ fieri conſtituatur, fideliter illam conſervare tenentur, alias

ex re opificum culpa pereunte oritur obligatio compenſationis, deinde ex eadem illa materia, ſi apta eſt operi, artefactum fieri oportet, alias verò ejus vitium eſt indicandum. Subſtituendo aliam minùs aptam turpiter, & injuſtè proprium commodum quæritur, invito utique domino; denique nihil ſuperflui adhibendum, & ſiquid domino utile ſuperfuerit, eſt reſtituendum ſub gravi, aut levi culpâ pro ratione materiæ.

Tertio. Promiſſis ſæpe divites, in illorùm autem executione pro tempore determinato valde negligentes exiſtunt, unde quandoque contingit alios ex nimia dilatione damnum ſubire, quod attentis circumſtantiis ſatis fuit prævifum, ac proin ad damni reparationem obligantur.

Quarto. Si ſartores pro aliis, ut fieri aſſolet, emant pannum & alia ad veſtes conficiendas neceſſaria majori pretio, cum poſſent emere minori, peccant pro ratione exceſsûs, cum rem committentium non gerant fideliter, eo ipſo enim, quo negotium alterius ſuſcipiunt, tacite ſeſe obligant ad illius commodum procurandum, imo nec operam ſuam occulte compenſare poſſunt, quam in emendis rebus impendunt, per ſe loquendo; quia labor iſte ſufficienter compenſatur, quod hiſce præ aliis veſtes conficiendæ committantur, ad hæc, qui negotium alterius ſuſcipit nihil petendo, alteri operam ſuam gratis donare cenſetur, niſi operantis conditio, & opus faciant præſumi, quod compenſationem juſtitia dictet.

Quinto. Mercatores ſi ob frequentem acceſſum pro rebus emendis quidquam de pretio ſponte

om-

omnino & gratis remittant, id tuto retinere poſſunt ſartores etiam pro aliis ementes, modo utrimque fideliter agatur, & non mentiatur iniquitas ſibi, nec principalis ideo patiatur, quod contingit, ſi ementes ſciant de pretio aliquid remitti, & idcirco majori pretio emant, quàm alias apud alios emere ſolent, quare in praxi diligenter inquirat Confeſſarius, annon dolus quidam interceſſerit.

Sexto. Dolendum maximè, quod leges S. Matris Eccleſiæ, & conſtitutiones Archiepiſcopales de impiis libris non imprimendis, non vendendis, ex turpiſſimi lucri ſordidâ cupiditate ſpernantur à bibliopolis Catholicis, ac proinde ſanctâ cum libertate arguendi ſunt Bibliopolæ illi, qui in continuo ſtatu peccatorum mortalium permanent, libros indifferentiſtarum, naturaliſtarum, Libertinorum, Hæreticorum, ſicut & laſciviam redolentes vendendo, quali commercio peſſumiret reſpublica Chriſtiana, niſi promiſſio Chriſti nobis aſſecuraſſet portas inferni non eſſe contra Eccleſiam prævalituras; vendentes tanquam indigni ſunt à Confeſſario dimittendi, donec removerint hanc peſtem ab officinâ.

Septimo. Quando res quædam ſecundùm taxam à Magiſtratu determinatam vendendæ ſunt, civis bonus conformare ſe debet, ne, dum alii obediunt, ſicut debent, lucretur per inobedientiam, juſtum enim cenſeri debet pretium iſtud legale, quoties non conſtat Principem vel Magiſtratum in eo taxando eſſe muneribus, odio, vel ignorantia craſſa inductum.

Octavo. Opifices poſt mediam noctem in diem feſtum ſine cauſa laborem protrahentes excuſari non debent, an autem peccent graviter vel leviter, commenſurandum eſt ex longo, vel exiguo tempore, quo laborant, ſic labor per notabilem partem, per tres horas, materia gravis dici ſolet. Paupertas excuſare poteſt, ſed oportet Confeſſario indicari, qui moneat cavendum eſſe ſcandalum, item ne alio tempore indulgeatur otio. Neceſſitas cenſetur excuſare, dum apparanda ſunt funebria. Conſuetudo populi notoria poteſt excuſare Coloniæ laniones in feſto S. Urſulæ. Periculum excuſat agricolas tempore meſſis, ſed fas eſt Eccleſiam in Parochi deſuper conſulendi perſona honorari, & temerè non fingi periculum.

Nono. Dominus ſine cauſa præcipiens famulis, ut laborent, alii una, alii altera hora, cenſetur legi illudere, & graviter peccare, licet famuli venialiter tantùm, vel ſi laborem abſque gravi damno omittere non poſſint, nullo modo peccent. Ratio eſt, quia heri officium eſt, ut ſubditos Deo & Eccleſiæ obedire faciat, dum cauſa rationabilis non obſtat.

Decimo. Parochi deſuper conſulti bene ad caſus particulares, & ad curæ ſuæ ſubjecti populi indigentiam & neceſſitatem reſpiciant, ſintque adeo diſcreti, ut ſine acceptione perſonarum & veris neceſſitatibus occurrant, & ſimul legis decorem cuſtodiant, ut monet *Benedictus XIV. Inſt.* 43. & 65.

§phus

§phus 4tus.

QUID OBSERVANDUM CIRCA JUDICES ET ADVOCATOS.

Primo. JUdex utpote perſona publica ad id conſtituta, ut ſecundum leges vel conſuetudinem jus populo dicat, præditus ſit ſcientia illorum, quæ ad ipſius pertinent officium, & ſine quorum cognitione illud debite exercere non valet, cum ex juſtitia teneatur ſuum cuique tribuere, & ferre ſententiam juſtam, quæ debita eſt tum communitati, tum parti, ad hoc enim ſe obligavit officium admittens, obligatio autem faciendi includit obligationem ſciendi; eſſet enim caſſum ſimulacrum judicis, ſi relationi jurisperitorum referentium otiosè acquieſceret.

Secundo. In judice prærequiritur legitima jurisdictio tum in perſonas, tum in cauſam judicandam, alias ſententia lata irrita eſt & nulla, quia procedit ab illo, qui poteſtatem non habet, quare injuriam facit, & per ſe peccat graviter injuſte uſurpando alienam jurisdictionem, incurrit inſimul excommunicationem judex ſæcularis, ſi Clericum ad judicium ſuum citet, pertrahat aut judicet, cum Clericus ab ejus jurisdictione exemptus ſit jure Divino & Eccleſiaſtico, dicente Conc. Lateran. ſub Leone X. Seſſ. 9. in Bulla Reform. *Cum à jure tam divino, quam humano Laicis nulla poteſtas in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.*

Tertio. Norma judicandi traditur Exod. 23. *Non ſuſcipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium, non ſequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquieſces ſententiæ, ut à vero devies.* Ex quo conſequens eſt, judici procedendum eſſe ſecundum allegata & probata ab his, qui fide digni ſunt, ideo judex ſive in cauſis civilibus, ſive in criminalibus non poſſet condemnare illum, quem ſcit innocentem, licet judiciario proceſſu per auſcultationem impiorum teſtium probetur nocens, id enim repugnat juri naturali, & juſtitiæ tam commutativæ, quàm vindicativæ, quæ exigit æqualitatem inter obligationem & ſolutionem, inter pœnam & delictum, jam autem inter ſolutionem præſtandam, & obligationem nullam, inter delictum fictum reipſa nullum, & inter pœnam realem non dari proportionem, multo minus æqualitatem, de ſe conſtat, quare *inſontem & juſtum non occides. Loc. cit.*

Quarto. Judex, ut tradunt multi, tenetur ſuggerere, ſi advertat unum ex litigantibus, vel Advocatum ejus omittere aliquid, quo manifeſtato litem evinceret, quia hoc ipſo, quod judici cauſa proponitur, officium ejus requirit, ut examinet omnia, quæ ad cauſæ cognitionem ſunt neceſſaria, curare quoque tenetur, ne contra juſtitiam, cujus miniſter eſt, pronuntiet, dum ipſe ſcit ſententiam ex objecto eſſe injuſtam.

Quinto. Juxta axioma: *nemo in propria cauſa poteſt eſſe judex*, hoc eſt, nemo in propriam utilitatem

-litatem directe poteſt ferre ſententiam, cum judicis officium ſit, dirimere cauſas partium, ac proinde graviter peccat, quiſquis quantacunque certitudine credat ſe ab alio læſum, vindictam exercet notabilem, item qui rem, de qua diſceptatur, ſibi per vim tollit. Etiam pro ratione materiæ graviter peccat judex, ſive per ſe, ſive ſcienter per alios munera acceptans, eſtque prorſus irrita ſententia, quæ contra jus alterius fertur intuitu munerum; ſi ſit juri conformis, valida quidem eſt, ſed injuſtè venditur, quod danti munera ex juſtitia eſt debitum. Acceptare etiam liberaliter oblata prohibitum eſſe deducitur haud obſcure ex illo Exod. 23. *nec accipies munera, quæ excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum*, id eſt ratione periculi, & ſcandali.

Sexto. In cauſis civilibus neceſſe eſt, ut judex ſequatur ſententiam probabiliorem, quia agitur de damno partis litigantis, dum pro utraque parte æqualis eſt probabilitas, vel res eſt diviſibilis, tunc fiat diviſio rei e.g. agri dimidiatio, ſi indiviſibilis, alteruter amicâ conventione vel ſorte determinandus habeat pretium dimidii. In criminalibus actore concludenter non probante abſolvendus eſt reus, etſi minus probabilis ſit defenſio.

Septimo. Advocati partibus litigantibus in judicio aſſiſtentes præter ſcientiam officio convenientem, in agenda clientum cauſa competentem debent impendere diligentiam, quæ tanto major ſit, quanto cauſa difficilior & gravioris

momenti. Facta causæ discussione, sincere manifestent causæ probabilitatem, spem vincendi & periculum perdendi, & si causa censeatur injusta, illam tueri sine injustitia non possunt.

Octavo. Quando in civilibus causæ sunt utrimque probabiles, potest Advocatus defendere clientis sui causam etiam tunc, dum eam opinatur esse minùs probabilem præmonito clientè, cum sæpe contingat in processu causæ argumenta validiora occurrere, & victoriam obtineri. Si autem jurisperitus tanquam referens impartialis à Judice assumatur, debebit relictâ probabili resolvere juxta probabiliorem, cùm tunc non agat patronum clientis, sed ministrum justitiæ.

Nono. Advocatus, quem acceptio personarum, recommendatio majorum, aut munerum elargitio ad causam efficaciter defendendam alliciunt, in conscientia tutus esse nequit, quia sæpissime est causa, cur altera pars injustè patiatur, adeoque compensationi obnoxius manet; acquiescere etiam debet stipendio justo & taxato, quod si taxatum non fuerit, sumi potest illud, quod attenta qualitate negotii, & laboris impensi & loci consuetudine justum censetur.

Decimo. Confessarius, si in confessione compererit culpam gravem tali advocatiâ esse commissam, prudenter commonefaciat reum de obligatione restitutionis faciendæ, quam licet ipsimet agnoscant, tamen amor proprius inducit ad excusationem haud subsistentem, quare discreta monitio erit opportuna.

CAPUT

CAPUT XVIII.

QUID AGENDUM CUM FATUIS, SURDIS, MUTIS &c.

Primo. CUm plene fatuus non ſit capax actuum ſupernaturalium, etiam abſolutionis incapax eſſe cenſetur, quamvis cum aliis flectat genua, pectus tundat, ſignum Crucis formet, ad hæc enim peragenda ſimiæ inſtar poteſt aliorum exemplo moveri, in articulo tamen mortis conetur Parochus eum ad Dei amorem excitare, quia forſan Deus remoto tunc obice naturali miſericorditer faciet habitus ſupernaturales virtutum Theologicarum in baptiſmo infuſos operari actus ſalutares; item quia experientia docuit, quibuſdam fatuis, qui per morbum in amentiam deciderunt, (mutato interiore ſtatu corporis per lethalem infirmitatem) lumen rationis ſub finem vitæ illuxiſſe ſaltem ad eum gradum, ut ob dubia ſigna poſſint Sacramenta adminiſtrari. Si adultus nunquam habuerit uſum rationis, quod per teſtimonium parentum certum eſſe poteſt, nullum omnino eſt ſalutis periculum, & fruſtra adhibito, quem dixi, conatu, erit infanti ſimilis habendus. Cum adultus, qui fuit antea mentis compos, judicandus ſit juxta ſtatum animæ, in quo erat, dum in amentiam incidebat, precibus Parochianorum ſpecialiter rogandus eſt Dominus, ut uſum rationis miſericorditer concedat. Semifatuus autem, de quo prudens judicium formari poteſt, quod ſaltem imperfecte habeat actus ad

pœnitentiam requiſitos, dum dicit ſe Deum amare, cœlum deſiderare, ſub conditione abſolvi poteſt, præſertim ſi aliquod peccatum ex genere grave proferat, benignus eſt enim Dominus, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut omni homini adplicentur media ad juſtificationem neceſſaria.

Secundo. Sunt, qui quandoque tantum delirant, & hi tempore lucidi intervalli abſolvendi ſunt, ſicut alii, quia ſatis ſibi tum præſentes omnia adhibere valent, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ validè ſuſcipiendum prærequiruntur, adeoque ſalutari hoc medio privari non debent, ſicut nec illi, qui in aliquo objecto inſanire videntur, in aliis autem ſatis prudentes exiſtunt, & nullum amentiæ ſignum oſtendunt.

Tertio. In dubio an defectus rationis, an uſus ejuſdem adſit, recurrendum eſt ad aliqua ſigna, & quidem primo uſus rationis manifeſtatur, ſi confitentes peccata ſua diſtinctè & ſucceſſive explicent, ad quæſtiones, quas Confeſſarius pauciſſimas debet proponere, ſufficienter modo conveniente reſpondeant; deinde ſi pudorem quendam oſtendant propter mendacium, vel alium actum turpem commiſſum; denique ſi magni faciant obedientiam Confeſſario præſtandam, pietatem diligant, & ſciant bonis operibus correſpondere præmium, malis vero pœnam. vid. dicta *de Infantibus*.

Quarto. Surdaſter Confeſſario ignotus, ſi interrogari aut examinari nequeat, quin circum-

ſtantes

ſtantes id audiant, ad locum ſeparatum eſt ducendus, ut confiteatur; neque univerſaliter verum eſt, quod prætendunt aliqui, Surdaſtrum, hoc ipſo, quod in præſentia aliorum velit confiteri, concedere poteſtatem Confeſſario examinandi illa, quæ ad abſolutionem ſpectant, quamvis ab aliis audiantur. Ad praxin deduci non debet confeſſio coram alio præter Confeſſarium, etſi pœnitens voluerit, quia confitenti non tantùm, ſed & audientibus nocere poteſt illa notitia; etiam integritas materialis non præcipitur à Deo, dum non poteſt fieri confeſſio coram ſolo Confeſſario e. g. dum in hoſpitali duo milites ſunt in eodem lecto, & ſeparatio impetrari non poteſt.

Quinto. Expedit, ut Surdaſter, ſi fieri poſſit, eundem retineat Confeſſarium, quia tali Confeſſario nota eſt Surdaſtri conſcientia, & facilius indicari poteſt, quid pro Sacramentali ſatisfactione orandum ſit, e. g. oſtendendo roſarium, an totum vel partem recitare debeat.

Sexto. Cum experientia teſte Surdaſtri & graviter audientes altiore voce loqui ſoleant, non facile etiam à Confeſſario conſueto permittantur confiteri in loco publico, ubi alii circumſtant, Secreta enim debet eſſe confeſſio; in Sacriſtiâ aut in alio loco ſeparato commodè tales audiri poterunt, præſentes monendi ſunt, ut ad modicum tempus recedant.

Septimo. Mutus, qui ſimul non eſt Surdus, adjuvari debet per interrogationes, quibus per ſigna reſpondere poteſt. Sufficienter informatus

tus in illis, quæ ſcitu ſunt neceſſaria, abſolvi debet, poſtquam ſcripto vel ſigno æquivalenti fuit confeſſus, & dolorem oſtendit. Juxta communem opinionem, qui ſcribere poteſt, debet mediante Scripturâ confiteri, dum per ſigna non poteſt ſufficienter animæ ſtatum aperire; numerus peccatorum & ſpecies indicari debent, & circumſtantiæ, tum quæ mutant ſpeciem, tum quæ notabiliter aggravant.

Octavo. Hæc ſigna non intelligens remittat mutos ad Confeſſarium dactylologiæ, ſeu artis per digitos cum mutis loquendi gnarum, quod, ſi fieri non poſſit ob periculum, in quo moribundus verſatur, modo, quo poteſt, juvari debet, & abſolvi; ſaltem per ſigna unum alterumve peccatum oſtendetur, etſi ſpecierum, & circumſtantiarum accurata diſcretio nequeat percipi. Quoties muti tempore ſanitatis ad confeſſionem admitti cupiunt, admittantur inſtar aliorum; moleſtiam Deus compenſat.

Nono. Quando ſimul ſurdus & mutus ad confeſſionem adducitur, inquirenda ſunt ſigna doloris, accuſationis, & peccatorum, ſicut homo linguæ penitus Confeſſario ignotæ dirigendus eſt in caſu neceſſitatis. In loco ſegregato per ſigna examinatus, ubi intellecto uno alterove peccato, ſi aliter fieri nequeat, prævio ſigno doloris abſolvendus eſt, cum in tali caſu integritas materialis confeſſionis non requiratur. Confeſſarius ſigillum violat, ſi aliquem pœnitenti notum poſtea interroget, quid per illa mutus ſignificare voluerit.

Decimo.

Decimo. Mutus, Surdus, & Cœcus à nativitate æquiparatur perpetuo amenti, adeoque ſolius baptiſmi capax eſſe cenſetur, cum non appareat, quomodo ſignum ſufficiens exhibere poſſit reſpective ad abſolutionem obtinendam; ſi tamen, poſtquam uſum rationis habuit, & Sacramenta ſuſcepit, his ſenſibus privetur, tactu, & oſculo S. Crucis, ac manu ad pectus tundendum more pœnitentium applicatâ diſponi poterit ad oſtendendum dolorem, & ad Sacramentalem abſolutionem. Tactus profanæ hoſtiæ, & hoc ſignum ſecuta junctio manuum, ac flexio genuum, & tactus oris, ut ad ritum communicantium ſe accommodet, poſſunt, Deo miſericorditer adjuvante, capacem facere Ss. Sacramenti ſine dubio adminiſtrandi. De extremâ unctione, dum medicus judicat mortis præſens eſſe periculum, conferenda nequit dubitari, dum tactus organorum ſenſoriorum mentis compotem faciet comperire, quid agatur.

Undecimo. Confeſſarius linguam quâ pœnitens confitetur, intelligens, certos autem loquendi terminos & modos ignorans, horum notitiam acquirere debet, antequam confeſſiones excipiat, ut non negligatur integritas materialis confeſſionis, ſi verò ſub ipſa confeſſione occurrat aliquis ignotus germaniſmus, interrogando faciat explicari ſignificationem.

Duodecimo. Confeſſarius adeo linguæ imperitus, ut omnia peccata mortalia nequidem percipere valeat, pœnitentem ad alium linguæ peritum remittere tenetur, hic tamen ſi haberi

non

non poſſit, & urgeat præceptum confeſſionis aut neceſſitas, pœnitens abſolvi poterit, dummodo Confeſſarius unum alterumve peccatum mortale certum perceperit, adjecta monitione, ut pœnitens data occaſione peccata alia non ſatis intellecta alteri confiteatur.

Decimo tertio. In neceſſitate pœnitens abſolvi poteſt à Confeſſario, cui idioma confitentis plane ignotum eſt, ſi pœnitens in genere per ſigna ſe accuſet, quia tunc alius modus non ſupereſt. Si per interpretem confiteri voluerit, doceatur, ad hoc minimè obligari, ne forſan per conſcientiam erroneam peccetur, ſed debere habere propoſitum ſincerum obligationi ſatisfaciendi, quamprimum occaſionem habuerit, ut ſuppoſito vero dolore & propoſito emendationis abſolutionem Sacramentalem conſequatur.

CAPUT XIX.

DE RECIDIVIS ET CONSUETUDINARIIS.

Primo. Error eſt, damnatus ab Alexandro VIII, quod ſatisfactio præmittenda ſit abſolutioni; ergo, donec ex emendatione vitæ conſtiterit de vera pœnitentis converſione, differenda non eſt abſolutio, ſed ſuppoſito dolore & ſincero propoſito ſatisfaciendi ſtatim poſt confeſſionem danda eſt abſolutio. Relapſis etiam ſæpius nihilominus conceditur à Deo recurſus ad hoc ſalutis remedium. *Matth.* 18. Petro interroganti: *Domine, quoties peccabit in*

me frater meus, & dimittam ei usque septies? respondebat Christus: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Sicut & illud *Lucæ* 17. *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te dicens: pœnitet me, dimitte illi.* Quod licet proprie de injuriis condonandis sit intelligendum, reducitur tamen etiam ad peccata per absolutionem remittenda.

Secundo. Confessarius pœnitentem confessum & rite dispositum absolvere nolens, per se peccat mortaliter, cum pœnitens facta confessione habeat jus ad absolutionem. Difficile est justum formare judicium de sufficientiâ dispositionis, quæ existentiam supernaturalis doloris & sinceri propositi involvit, præsertim si agatur de recidivis in eadem peccata relabentibus. Confessarius non sit nimis benignus, ne foveat multiplicationem peccatorum, nec nimium rigorosus, ne tempus vitæ in peccatis transactæ recogitantes in amaritudine animæ suæ à confessione deterreat, quare viam mediam ineat, ut peccata futura impediantur, & vulnera anteriora curentur.

Tertio. Relapsus in eadem peccata de se non est signum in priori confessione defuisse dolorem & propositum, sæpius enim confitemur peccata venialia dolorose satis, & cum vero proposito illa cum gratia Dei evitandi, dum moraliter certi existimus, quod in eadem frequenter simus relapsuri, scientes quod omnia venialia sine speciali auxilio divino evitare non valeamus.

Quarto.

Quarto. Ex regulis diſcretæ prudentiæ inferendum eſt, an frequens reincidentia in eadem delicta gravia clavibus ſubjecta ſit argumentum defectûs veri doloris ac firmi propoſiti, ſi enim pœnitens multoties fidem fregerit, læſis non ſatisfaciendo, damna illata non reparando, ebrioſitatem, laſciviam, furta continuando, neglectis mediis præſcriptis, prudentia dictat, quod hujuſmodi relapſus ex inefficacia doloris & propoſiti profluxerit, qui enim efficaciter dolet de peccatis, & ſeriam habet voluntatem illa emendandi, media adplicabit fidele iſtud propoſitum adimplendi. Si itaque pergit ſe exponere iiſdem periculis, licet externe dicat, ſe dolere ac emendationem proponere, neganda eſt, vel ſaltem differenda abſolutio, donec pœnitens adhibitis mediis reſipuerit.

Quinto. Ut prudens formari queat judicium de diſpoſitione pœnitentis, attendi debet ad circumſtantias, plerumque ſi pœnitens piâ recollectione ſe præparaverit, longum & difficile iter in ſe ſuſceperit, moleſtiam difficilioris tranſitus ad Confeſſarium, & moram temporis longam lubens perferat eo animo, ut latebras conſcientiæ accuratiùs perſcrutetur, & fideliter confeſſionem peragat, ſi aliquamdiu ſibi cautè proſpexerit, ut pericula etiam remota fugeret intuitu confeſſionis faciendæ, ſignum eſt, quod ingreſſus ſit ſemitam juſtitiæ, & motu ordinato ad Scopum intentum dolens de peccatis feſtinet, ac proinde abſolutionis beneficio gaudere debet, adjuncta pia admonitione, ne pœnitens ad priorem vomitum redeat.

Sexto.

Sexto. Quando adest causa aut suspicio malæ cujusdam consuetudinis, prudentis Confessarii est desuper interrogare pœnitentem, qui sub mortali illam ingenue manifestare tenetur, causa autem dubitandi, annon lateat aliqua consuetudo, est in sequentibus: si pœnitens deditus sit ebrietati, aut luxuriæ, quæ vitia non nisi maxima cum difficultate à subjecto eradicantur, si numerum non parvum perjuriorum, imprecationum, fraudum proferat; si debita non solvat, injuste acquisita non restituat, aut pia legata non tradat legatariis; si injurias haud remittat, sed vindictam intendat ex odio; denique si culpabiliter ignoret illa, quæ scitu sunt necessaria.

Septimo. Videndum tamen hic, an reincidentiæ proveniant ex fragilitate quadam intrinseca, an vero ab occasione extrinseca originem trahant, si primum, communiter docent Doctores, pœnitentem ordinarie posse absolvi toties, quoties Confessarius moraliter certus fuerit eum verè dolere.

Octavo. Gravis est obligatio ex parte Confessarii advertentis pravam pœnitentis consuetudinem, ut media præscribat idonea ad relapsum præcavendum, hæc media, si pœnitens sciens & sufficienter admonitus adhibere neglexerit, absolutio est differenda, quamvis de facto iterum dicat se esse paratum ad illa media impendenda, quia ex promissionibus anterioribus frustratis rationabiliter præsumitur, eum denuo hanc esse frustraturum, nisi fortè signa quædam specialia & extraordinaria doloris ostenderet, & mutatæ

circumſtantiæ ſuaderent eum nunc fidem mereri. e. g. Si interea gravis morbus, aliuſque caſus funeſtus illum, aut amaſiam afflixiſſet.

Nono. Si ignoto Confeſſario ipſe pœnitens fateatur ſuapte ſponte, quod in prava conſuetudine aliquamdiu hæſerit ſpretis monitionibus unius aut alterius Confeſſarii, nunc vero paratum ſeſe oſtendat, quod in omnibus velit obedire Confeſſario, vereque contritus appareat, recte ſperatur illum per media præſcribenda eſſe corrigendum, ac proin abſolutio non eſt deneganda, quia humanitus majorem certitudinem habere nequit Confeſſarius.

Decimo. Ad efficacius ac certius emendandum frequentem relapſum omnino expedit ſuadere conſuetudinario, ut eligat prudentem & doctum Confeſſarium, cui ſemper confiteatur, quia, ſi vere ſollicitus ſit de ſalute, in illo excitabitur erubeſcentia, quæ eum à peccato ſæpius committendo deterreat, dum idem peccatum ſæpius eidem Confeſſario detegendum eſſe animadvertet, idemque Confeſſarius propter repetitas confeſſiones ſtatum pœnitentis, & originem morbi ſpiritualis melius agnoſcet, & conditioni pœnitentis magis accommoda media præſcribet, cum aliàs, ſi de uno ad alium divertat, celare præſumatur pravam conſuetudinem.

Undecimo. Minimè tamen injungat Confeſſarius, imo nequidem hortetur, ut ad ſe ſemper redeat hoc animæ morbo laborans, ſed tantum conſulat, ut invocata divina inſpiratione unum

ſponte eligat Confeſſarium, cujus directionem ſequatur. *Paſcite* (monet S. Petrus omnes Epiſcopos & Curatores animarum 1. Pet. 5.) *Paſcite qui in vobis eſt* (hoc eſt: ſpecialiter vobis commiſſum) *gregem Dei providentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratiâ ſed voluntariè.* Si rogetur, directionem cum charitate ſollicitâ ſuſcipiat non quæſitam, ſed pœnitentis rogatu petitam, etſi eſſet proprius parochus, cum pro tali morbo expediat libertatem illam concedere.

Duodecimo. Ille, ſeu quiſquis alius, cui ſe ſponte ſubmiſerit, ſicut accepit gratiam, tali pœnitenti illam adminiſtret tanquam bonus diſpenſator multiformis gratiæ Dei, benevolentiam & charitatem ſemper oſtendat, ad fiduciam in Deo collocandam corroboret, oſtendat ſe bene de eo ſperare, ſpeciatim nitatur explorare ejus genium, inclinationem, occaſionem frequentis relapſus, ut medicinam utilem & media neceſſaria ſubminiſtrare poſſit.

Decimo tertio. Pro praxi juvabit præprimis proponere illud, *memorare noviſſima tua.* Fiat frequens admonitio: *morte morieris tu & non vives, veniet mors horâ, qua non putatis, ſicut fur in nocte.* Juxta Chriſti monitum, cogitetur & hoc verbum Domini: *Timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere & mittere in gehennam ita dico: hunc timete.* Proponatur ſeverum Dei judicium, quod metuebat David orans: *non intres in judicium cum ſervo tuo.* Aſtutiam Dæmonis & ejus invidiam quoque nonnunquam expo-

nat, quod *mendax* & *pater mendacii* vocatus sit à Christo Joan. 8. dum falsis promissionibus decipit homines, ut perdat.

Decimo quarto. Periculosum sanè est, Deum sæpius peccatis offendere, qui, sicut omnia in numero, mensura & pondere disposuit, ita quoque unicuique hominum certum dierum vitæ mortalis numerum fixit, quo impleto *tempus non erit amplius*, cessante statu viatoris cessat facultas meriti; frustra virgines fatuæ *oleum* quærunt, dum *clausa est janua.* Qui lumini gratiæ excitantis diu obstruxerunt oculos mentis, justo Dei judicio deseruntur, ut *eant post concupiscentias suas*, usque dum vel apoplexia, vel subita oppressio ruinæ vel vulnus lethiferum animam tollit; per consuetudinem quasi peccandi necessitas contrahitur, quamdiu impunè peccatur; delictum autem frequentatum divinæ gratiæ fontem sæpe occludit, sicut *Antiochus* scelestus orabat Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus, ita ad Deum diu contemptum frustra clamat peccator, mortis angoribus impulsus: pœnitentia sera rarò vera.

Decimo quinto. Omnino excitanda est memoria Christi patientis, & morientis, inde Sacramenta suam habent efficaciam, *non est in alio aliquo salus*, ajebat S. Petrus, vulnera Christi in passione recepta quasi refricant malitiosi, ut dicit Apostolus de peccatoribus: *Rursum crucifigentes sibimet ipsis filium Dei & ostentui habentes* Heb. 6. Quanta ergo eorum perversitas, qui peccata peccatis cumulant, & Deum, qui vasa iræ sustinet

in

in patientia, non desinunt ad vindictam provocare continuando malitiam.

Decimo sexto. Si recidivos adverterit naturali dispositione melancholicos esse, & pusillanimes, erigendi potius, quam terrendi sunt, ne in desperationem incidant, & dum observat numerum peccatorum diminui, laudandi sunt, & ut gratiæ divinæ cooperari pergant, animandi; sperare faciat integram sanitatem animæ, ostendat nos omnia posse in illo, qui nos confortat, si cœperimus *gustare, quoniam suavis est Dominus, misericors, & præstabilis super malitiâ*, paratus ad miserandum, si verè volumus.

Decimo septimo. Diu differenda non est absolutio, si consuetudinarius ritè dispositus esse videatur, ad aliquot tamen dies id aliquando fieri poterit, si Confessarius id utile judicaverit ad humiliandum pœnitentem, ut donum Dei pretiosissimum non vilipendat ob nimiam facilitatem illud obtinendi, unde prudentis medici spiritualis est, quandoque cum discretione differre absolutionem, sic deterrebitur pœnitens magis à peccato, experientia enim testatur, pœnitentes post absolutionem aliquamdiu suspensam magis reddi cautos, ac cum majori fervore & dispositione ad Sacramentum hoc accedere, dum intelligunt ex amore animæ id fieri, & non ex asperitate, aut impatientiâ.

Decimo octavo. Ne tamen per dilationem absolutionis pœnitenti jam disposito odiosa fiat con-

fessio, suaviter & mansuete proponat Confessarius, quanta huic Sacramento reverentia debeatur, & quod graviter peccent Confessarii, qui perniciosa pœnitentibus dissimulatione, & assentatione illis placere volunt, *væ illis, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs, ut capiant animas* Ezech. 13. ex quo pœnitentes intelligent Confessarium ex officii obligatione procedere, & ex eo poterunt judicare de sua obligatione. Etiam dum se absolutos fuisse meminerunt ob fidem habitam bonis propositis Confessario declaratis, minus molesta erit necessaria comminatio & hanc secuta denegatio absolutionis in materia gravi.

Decimo nono. Si consuetudinarius solitus fuerit frequenter relabi in eadem peccata mortalia, & post plures confessiones advertantur indicia veræ pœnitentiæ, consulenda est confessio generalis, quia non temere suspicari potest, plures confessiones antecedentes fuisse invalidas ob defectum debiti doloris, & necessarii propositi, cum eum defectum probet longa peccandi consuetudo, speciatim, si relapsus fuerit frequens in materià venereâ.

Vigesimo. Peccata incontinentiæ, quæ sine complice committuntur, supposita prava consuetudine difficillimæ sunt curationis, ut ait Doctor Toletus Cardinalis, cum nunquam desit occasio solitarie peccantibus, nec pudor coerceat voluntatem habitualiter in malum inclinantem, si per pravam consuetudinem occultissimam frequentati fuerint actus lege contempta, ideo frequentanda erit Confessio, & quidem apud eundem Confessarium,

ſarium, ſi fieri poſſit, qui cum debita ſeveritate procedat contra talem infirmitatem, ſi radicatam compererit, crudelis enim benignitas nimis facili abſolutione indulgens malitiæ facit damnanda tranquillitate animas pluribus ſæpe annis tali conſuetudini inſordeſcere, & dum cœcus cœco ducatum præſtat, ambos in foveam cadere, unum eſt, inquiunt PP. *Conc. Lateran. quod ſanctam maximè perturbat Eccleſiam, falſa ſcilicet pœnitentia:* idcirco Confratres noſtros & Presbyteros *admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipiant, & in infernum pertrahi patiantur.* Applicetur hoc imprimis huic materiæ.

Vigeſimo primo. Confeſſarius pœnitentem turpi huic vitio adhærentem hortetur, ut principiis obſtet, nimis enim ſerò medicina paratur, dum mala per longas invaluere moras, quare illum excitet, ut ipſe ſibi non deſit, fruſtra ſunt omnia hortamenta, conſilia, remedia, ſi ſeria emendationis voluntas defuerit.

Vigeſimo ſecundo. Remedia contra Luxuriam potiſſimum ſunt ſequentia. *Primum eſt.* Humiliter à Deo petatur donum continentiæ, per quam corpus Spiritui, ſeu rationi obediat. *Secundum.* Abſtineatur à ſaginatione & ſenſualibus cibi & potus deliciis, gulam enim conſtat inter peccata capitalia connumerari, cujus filias S. Thomas cum S. Gregorio dicit immunditiam, ſtultiloquium, ſcurrilitatem, ineptam lætitiam & mentis hebetudinem, quare *caſtigando corpus & in ſervitutem redigendo* juxta S. Pauli exemplum Deo oſtendatur ſinceritas illius petitionis. *Tertium.*

Cautè custodiantur sensus tum externi, præsertim visus, gustus, tactus, tum interni, præsertim Phantasia, & reminiscentia turpium, quæ aliquando visa vel audita sunt, vitetur ad hæc otium, quod est Dæmonis pulvinar. *Quartum.* Verè studiosus salutis sibi proponat Deum sibi præsentem, ubi instat libidinis tentatio, fugiat, dum per fugam spes est victoriæ, aut occupatio statim quæratur, ut mens avertatur ab objecto tentante. *Quintum.* Consideretur frequenter mortis certæ hora incerta, & strictissimum per totam æternitatem irrevocabile judicium. *Sextum.* Damna Luxuriæ investigentur, quod rationem obtenebret, vitam abbreviet, nauseam creet rerum cœlestium, quia *carnalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritûs*, & quod maximum est, animam in æternum damnet.

Vigesimo tertio. Aliquando expedit sequi consilium Apostoli: *melius est nubere, quam uri*, & matrimonium suadendum præ statu religioso, aut Ecclesiastico, hoc ut provide suadeat, oret dominum, à quo recta consilia.

Vigesimo quarto. Non turbetur Confessarius, si labor adhibitus nihil profecerit, sufficit enim, quod plantando & rigando partes suas expleverit, nec ideo carebit mercede, ut asserit S. Brigitta in exemplo obvio: si duo mercenarii ex præscripto Domini perfoderent montem durissimum, & unus aurum inveniret, alter vero nihil, uterque tamen ob laborem impensum æquali dignus esset præmio, nec Prophetæ, nec Apostoli, nec ipse Dominus noster semper fructum intentum prædicationis obtinuerunt. *Vi-*

Vigesimo quinto. Non est, cur turbentur consuetudinarii plenè emendati, quos nocturna molestant Phantasmata, nullo voluntatis motu causatæ immunditiæ, cogitationes penitus indeliberatæ; si anima Deum sibi præsentem, & omnia videntem cogitans nitatur purissimos Dei oculos revereri, dicere potest: *sanus factus* medicina Salvatoris: *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, commendetur vespertina precatio, quam Ecclesia docuit: *Procul recedant somnia, & noctium Phantasmata, hostemque nostrum.* (Carnem, mundum, Dæmonem) *comprime, ne polluantur corpora*, & oratio quædam pro animabus in purgatorio detentis, suadeaturque, ut siquid humanitus passi fuerint, non erubescant in confessione proxima indicare, ne forsan in dubio hæreant, an directè vel indirectè consenserint.

Vigesimo sexto. Circa pœnitentes in eadem peccata venialia sæpius relabentes, videndum, an venialia illa frequententur ex quâdam inadvertentia, aut subito aliquo motu, ut contingere videmus in evagationibus, & distractionibus tempore orationis, in verbis otiosis, aut in motibus impatientiæ, aut videndum, an frequens in eadem venialia relapsus forsan ideo non curetur, quia venialia sunt, eaque sola sine dolore & proposito deliberato in confessionali proferantur ex consuetudine, in quo ultimo deficit pœnitentis dispositio, Sacramentalis enim absolutio ut ritè petatur, utique debet confessioni jungi dolor, & propositum requisitum pii conatûs. Frequens cæterum in venialia commissa relapsus, suppositis, quæ jam indicata sunt,

jure divino ſupponendis, abſolutionem non impedit.

Vigeſimo ſeptimo. Si ſæpius adferantur eadem ſola venialia, quæ per Phantaſiam, diſtractionem involuntariam cauſata videntur, & de ſufficientia materiæ dubitetur, ſuadeat pœnitenti, ut aliquod peccatum magis diſplicens addat, & dolorem de omnibus ſimul eliciat, vel moneat, ut ſingularem eliciat dolorem de aliquo veniali ab ultima confeſſione deliberatè admiſſo, ut conſulatur reverentiæ Sacramenti, & fructus ejus obtineatur; ex aliquorum venialium circumſtantiis e. g. publica impatientia, levi damnificatione forſan graviter affligente proximum, ex periculo &c. item ex verbis Domini: *cui multum datum eſt, multum requiretur ab eo*, moveri poterit pius pœnitens ad dolorem ſupernaturalem unius, aut aliquorum talium peccatorum.

Vigeſimo octavo. Si peccata ſint venialia planè deliberata, ut mendacia officioſa, & frequens in illa relapſus, majori opus eſt cautela præſertim, ſi alia delicta non addantur, adeſt enim tum prudens metus de defectu doloris circa illa, ac proinde ad illum prius excitandi ſunt per quædam motiva tum generalia, quod peccatum veniale ſit contra Deum, & ab illo puniatur graviſſima pœna purgatorii, cujus tormenta per fidem propoſita non poſſumus pro figmento aut re levi reputare, quod aliquando etiam in hac vita caſibus adverſis infirmitate, imo & morte punitum fuerit, quod nequeat dici amor Dei ex tota mente, ex omnibus viribus, dum anima tam

vili

vili ex cauſa Deum offendit per mendacia; tum ſpeciale e. g. de mendacii turpitudine etiam ab ethnicis per lumen rationis agnitâ, quod nunquam ex quacunque utilitate vel propria vel proximi poſſit fieri honeſtum, & licitum loqui contra mentem.

Vigeſimo nono. Si pius Confeſſario notus, qui ante paucos dies fuerat confeſſus, propter feſtum communicare deſiderans confiteatur imperfectiones quotidianas, ut ſunt diſtractiones vix voluntariæ, verba otioſa, cum benedictione dimittatur, ſuadeaturque, ut tranquillo animo ad S. Communionem ſe præparet. Non eſt ſemper indicandum, quod ſine abſolutione ob materiæ inſufficientiam dimittatur, ſed aliquando poteſt præſcribi aliqua precatio ſine ſatisfactionis Sacramentalis mentione: ſic dimitti poſſunt pueri, etiam adultus, ne forſan de ſtatu animæ ſuperbiat, aut perperam ſuſpicetur Confeſſarii laxitatem.

CAPUT XX.

QUID AGENDUM CUM ILLIS, QUI IN PECCANDI OCCASIONE VERSANTUR.

Reſp. 1*mo.* Cum è re Confeſſarii vel maxime ſit, docente S. Carolo Borrom. Inſtruct. Paſtor cap. 16. ut, quæ ſint eæ occaſiones, perſpicue ſciat, breviter præmitto, quod occaſio contradiſtincta à conſuetudine, ſit circumſtantia extrinſeca alliciens ad peccatum, ut coha-

cohabitatio & converſatio cum perverſis hominibus aut aliquo, à quo advertit ſibi imminere periculum, tripudia cum diverſo ſexu, officium, negotiatio &c. Periculum vero proinde eſt omne, ſive illud ſit intrinſecum, ſive extrinſecum, ad peccatum inclinans, ac proinde omnis occaſio peccandi eſt aliquod periculum peccati ſeu leve, ſeu grave, non tamen omne periculum peccandi eſt occaſio delinquendi, ſic aſſuetus mollitiei, etiam dum ſolus eſt, in periculo peccandi verſatur, non eſt tamen in occaſione, quia deficit circumſtantia extrinſeca ad peccatum inducens.

Secundo. Occaſio remota, quæ raro cum peccato conjungitur, etiam periculum remotum nominatur, & proxima, quæ frequenter poſt ſe trahit peccatum, etiam periculum proximum dici ſolet, hæc ſi reſpectu omnium ad delictum frequenter allicere nata ſit, ut aſpectus fixus & continuatus rei valde obſcænæ, abſoluta nuncupatur, ſi propter fragilitatem ad peccatum allicit quoſdam in particulari, non vero alios, reſpectiva audit.

Tertio. Frequentia peccandi deſumenda eſt relative ad tempus & locum, ſic qui ſemel v. g. in menſe adit locum, in quo fere ſemper carnaliter peccat cum caja, ille locus eſſet occaſio proxima peccandi, quia toties, quoties convenit cum illa, peccat, ut ſupponitur, nec facile præſumat, ceſſare per hoc, quod mutata ſit interna ad peccatum inclinatio, quomodo enim talis victoriam ſibi polliceri poſſit, qui toties in illa occaſione deliquit,

non

non video, cùm qui amat periculum, sit periturus in illo.

Quarto. Occasio proxima alia est voluntaria, in qua quis sponte permanet, & quam si deserat, nullum inde incommodum resultat; alia involuntaria vel physice, quam quis per vires naturales evitare non potest, vel moraliter, quam quis absolute quidem, sed non nisi cum gravi damno deserere potest, tales occasiones frequentiores sunt in peccato carnis, possunt tamen etiam esse in aliis materiis, ut in ludo, ebrietate, mercatura &c.

Quinto. Pœnitenti existenti in occasione remota absolutio non est neganda, si aliunde satis dispositus sit, imo omnem prorsus occasionem remotam evitare moraliter est impossibile, cujus vim ad peccatum remote tantum moventem facile superabit volens uti gratiis ordinariis.

Sexto. Voluntarie tamen sese exponere periculo etiam probabili tantùm peccandi formaliter illicitum est, & quidem ejusdem specie malitiæ peccatum, cujus periculo se quis ingerit, ex quo sequitur, quod homo advertens in aliqua occasione sibi imminere periculum proximum graviter delinquendi, teneatur occasionem illam vel deserere, vel periculum illud extenuare per actus virtutum à se elicitos, imo si advertens periculum istud non evitaverit, licet peccatum secutum non fuerit, hoc non obstante manet obligatio confitendi, quod se sponte exposuerit periculo tale peccatum grave committendi.

Sep-

Septimo. Dari poteſt abſolutio exiſtenti in occaſione etiam proxima, quam vel phyſice, vel ſine peccato deſerere nequit, permanenti enim in tali occaſione ad culpam imputari nequit, cum obligatio non ſit ad aliquid, quod abſolute, aut ſine peccato præſtari non poteſt, adeoque occaſio illa tunc non impedit abſolutionem, modo alias diſpoſitus eſſe videatur, & paratus ad arripienda media emendationi neceſſaria, quæ ſi poſt aliquot confeſſiones non ſequatur, differenda eſt abſolutio, ut & pœnitens majorem concipiat peccati horrorem, & per notabilem emendationem Confeſſario eripiatur fundatum dubium de exiſtentia doloris & propoſiti.

Octavo. Neganda eſt abſolutio illi, qui facile poteſt, ſed non vult deſerere occaſionem proximam peccandi graviter, ob defectum ſufficientis propoſiti, & propter affectum ad peccatum, talis enim volens manere in occaſione frequenter cum peccato conjuncta vult ipſum peccatum. Inter damnatas ab Innocentio XI. eſt hæc 61ma: *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima peccandi occaſione verſatur, quam poteſt & non vult omittere: quin imo directè & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Conſonam huic theſin cujuſdam Theologi Duacenſis Guido Atrebatenſis Epiſcopus damnavit: *Si pœnitens deſerere nolit occaſionem proximam* v. g. *Famulus intra tempus locationis ſuæ familiam in qua peccat cum domeſtica, caupo, qui ſolet inebriari, poteſt abſolvi, quia licet ex juſta cauſa exponere ſe proximæ occaſioni peccandi, modo abſit voluntas peccandi.*

Nono.

Nono. Quando pœnitens prima vice confitetur ſe eſſe in occaſione voluntaria peccandi carnaliter, & promittit ſerio, quod illam evitare velit, iſtum abſolvi poſſe tradit S. Caroli inſtructio Paſtor. cap. 17. pag. 134. his verbis: *Et quidem, ſi probabiliter ſibi Confeſſarius perſuadeat, poſſe ſe fidem primæ vel ſecundæ à pœnitente ſibi factæ promiſſioni dare, quod ſcilicet occaſionem auferet, poterit eum promiſſionis intuitu abſolvere, ſin autem fidem ſemel atque iterum fregerit, ac tertio idem polliceatur, abſolutionem differat, uſque dum reipſa videat, pœnitentem ſe omni peccato liberaſſe, in quo prius vixerat.* Si occaſio proxima ſit continua, ſecundæ promiſſioni de illa deſerendâ vix credendum eſt, quare diſcretum hic ſit Confeſſarii judicium.

Decimo. Qui occaſionem proximam non continuam peccandi, ut choreas, conſortia, in quibus frequenter peccat graviter, evitare non vult, abſolvendus non eſt, talis enim ſciens propriam fragilitatem, & periculum peccandi, ſi illud vitare nolit, verum propoſitum habere nequit, quare abſolvendi non ſunt famuli aut adoleſcentes nocturno tempore ad feneſtras mulierum frequenter accedentes, & cum illis colloquentes, quamvis emendationem proponant.

Undecimo. Si filia frequenter peccet carnaliter cum famulo in domo patriâ, quam deſerere nequit ſine graviſſimis incommodis, nec ſine infamiâ ſcelus manifeſtare poteſt, curare debet, ut ex occaſione proxima fiat remota adhibendo ſci-

ſcilicet media efficacia orationis, mortificationis, fugæ occultorum colloquiorum familiarium; minetur fallaci domeſtico ſe manifeſtaturam improba tentamina. Si minis non abſterreatur, tenetur Patri indicare ut dimittatur è ſervitio. Si ſincerum eſt caſtitatis tuendæ ſtudium, Deus de efficaci remedio providebit, ut occaſio ex proxima fiat remota; Si verò ſincerum non fuerit, facilè ex remota fiet proxima.

Duodecimo. Si pœnitens circumſtantias vel neceſſarias, vel utiles ad diſcernendum, an aliqua particularis occaſio moraliter ſit inevitabilis, & conſequenter talis, ut pœnitens in illa aliquo tempore relinqui poſſit, Confeſſario in materia caſtitatis frequenter vel ex malitia, vel ex pudore, vel ex ruditate tegat, debet ſemper habere Confeſſarius mentem erectam ad Dominum, qui ſolus intuetur corda, ſi hanc normam practicam ſequens à pœnitente fallitur, deceptio erit Confeſſario innoxia; Filiæ familias nunquam, niſi honeſte poſſit ad cognatum divertere, ſuadendum eſt, ut domum paternam deſerat, cum ſeceſſus ob cauſam latentem bonæ de ipſa exiſtimationi noceat, aliud eſt, ſi cauſa ſit patens e. g. Si puella ad fidem converſa ſciat ſe domi impediendam eſſe, quo minus Religioni, quam amplexa eſt, conformiter vivere poſſit.

Decimo tertio. Non lucrum adquirendum, nec alia utilitas, ſed damnum verè grave incurrendum

dum & proximè imminens efficit moralem occasionis proximæ vitandæ impotentiam, & hæc necessaria est, ut licitè in tali occasione permaneatur. Defectum rationis sufficientis ostendunt propositiones damnatæ, & quidem hæc quadragesima prima ab Alexandro VII. proscripta: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regale, dum deficiente illa nimis ægre vitam ageret, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.* Altera vero ab Innocentio XI. ordine 62. confixa: *proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, & honesta non fugiendi occurrit.*

Decimo quarto. Quando constitutus in occasione proxima adstruit moralem impossibilitatem deserendi occasionem, contra eum est fundata præsumptio, quod in animæ suæ perniciem fallere intendat Confessarium, ut absolutionis beneficium recipiat, quare diligenter inquirendum, num revera periculum adsit illius damni, quod prætendit, imo si prætexat infamiam propriam, aut scandalum proximo præbendum, si occasio deseratur, respondendum est, infamiam illam facile aliâ viâ declinari posse, & scandalum, quod timetur, non esse nisi acceptum, adeoque illud cum ruina propria spirituali non esse evitandum; reipsa autem scandalum dari certum, si occasionem illam frivolo prætextu utcunque suffultus non deserat, & Sacramentalis absolutionis incapacem mansurum.

Decimo quinto. Non ſufficit, quod aliquis velit evitare peccandi periculum per actus proprios debitæ reſiſtentiæ, quando aliquis animadvertit ſe vehementer inclinari in actus pravos, dummodo nactus fuerit occaſionem eos actus patrandi, ſed requiritur fuga illius occaſionis; alias poſtea peccatum non evitabitur. Ratio eſt, quia nolendo tunc fugere, cenſetur amare periculum, & præſumitur futurus conſenſus, ſicut Hebræis prædicebatur certiſſimè avertenda eorum corda, ſi Moabitica connubia non fugerent, nempe propter vehementem propenſionem ad cultus ſuperſtitioſos.

Decimo ſexto Amare periculum cenſetur quiſquis temerè, hoc eſt abſque rationabili causâ ſubit periculum liberi conſenſus in peccatum, dum autem eſt rationabilis cauſa ex officii obligatione, aut charitate, piè, abſque tentatione Dei in adjutorio gratiæ confiditur: ſic dicendum de Confeſſario, medico, chirurgo non tantùm in ipſis functionibus, ſed & in ſtudiis ad tales functiones præparantibus. Motus inordinati nunquam permittendi ſunt: ſola ſciendi cupiditas, & curioſitas nunquam tale ſtudium honeſtant tanquam cauſa rationabilis.

Decimo ſeptimo. Univerſim apprehendere periculum proximum peccandi, ubi prudentes nullum apprehendunt, ſcrupuloſorum eſt infirmitas; e.g. ſi reſalutet mulierem ſalutantem, aut honeſtæ congregationi aſſideat, talis heteroclita anxietas generat temeraria judicia, ſuſpiciones, perplexitatem, temporis utiliter impendendi jacturam,

turam; securum hoc dari consilium potest; licitum, & commendabile est sequi actiones illorum, qui conscientiosi, prudentes, & devoti communiter censentur, *semita enim justi recta est.* Isaiæ 26. cap. *& rectus callis justi ad ambulandum.* Laudabilis quidem est illa sancti cujusdam Doctoris sententia : *Timere culpam, ubi culpa non est, piarum castarumque mentium est*, sed eâ debet interpretatione temperari, ut christianam vigilantiam doceamur.

Decimo octavo. Officium judicis, Advocati, Procuratoris, Mercatoris, Militis, Consiliarii non est occasio proxima peccandi, cum peccata, quæ inter eos multi perpetrant, per media opportuna omnes de salute æternâ solliciti constanter vitare possint, causa non est, sed tantùm occasio remota, quidquid horum officiorum est, si, qui ejusmodi aliquam vitæ conditionem amplectuntur, meminerint se esse christianos.

Decimo nono. Frequentare popinam per se non est periculum peccandi absolute proximum, est tamen non paucis respective proximum, nempe his, qui ad debita reddenda, ad familiam suam alendam se faciunt superfluâ consumptione impotentes; his, qui sæpe inebriantur, qui rixis sunt addicti, qui verbis obscænis, detractionibus &c. peccant, & peccare faciunt alios, qui ludos vel ob temporis, aut pecuniæ notabile dispendium, vel ob turpitudinem illicitos ibi exercent, & hi, si periculum istud evitare noluerint, absque beneficio absolutionis dimittantur.

Vigesimo. Mulieres & puellæ indecenter ornatæ, scandalosè vestitæ, gravissime sunt reprehendendæ, cum adolescentibus & pusillis peccandi occasionem præbeant, nec absolvendæ donec honeste & christiane vestitæ compareant, ut præclare statuit Em. Cardinalis Grimaldus Archiepiscopus Aquensis apud Henricum à S. Ignatio de Sacram. Pœnit. his verbis: *absolvendæ non sunt mulieres & puellæ, quæ, postquam satis monitæ sunt de malo, quod in immodesto se vestiendi modo latet.* Neque etiam, dum in tali habitu accedunt per sacrilegam temeritatem immemores christianæ modestiæ, pasci merentur corpore & sanguine humillimi & castissimi Christi.

Vigesimo primo. Non vereantur Confessarii debite perfungi officio suo; advertentes pœnitentem versari in occasione proximâ aut consuetudine peccandi, nec metuant illum sine absolutione dimittere, si nulla sequatur emendatio, majus hisce temporibus est periculum excedendi per laxitatem, quam per severitatem in administratione Sacramenti pœnitentiæ. *Isidorus* l.2. Sent. c. 13. ait: *Sunt, qui pœnitentibus securitatem cito pollicentur, quibus bene per Prophetam dicitur: curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes pax pax & non erat pax. Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitime pœnitenti promittit securitatem.*

Vigesimo secundo. Causæ laxitatis Confessariorum sunt variæ. *Prima* est amor hominibus placendi, & timor displicendi, in hoc statu naturæ corruptæ adeo frequens, ut persæpe à semitâ

justi judicii propterea recedatur, major pars hominum abhorret arctam viam crucis & pœnitentiæ etiam post multa & magna scelera, præ rigidis placent Confessarii, qui *loquuntur placentia, & consuunt pulvillos*, ut conscientia peccatoris molliter indormiat. *Secunda* est amor popularis æstimationis, quam ut adquirant multi, malunt indulgentiorum Confessariorum multitudini sese aggregare, quam propter Sacerdotalem fortitudinem, & proximi charitatem agitari stimulis popularis contumeliæ. *Tertia* est naturale desiderium habendi multitudinem pœnitentium, vel ob famam nescio quam vel turpis lucri gratiâ.

Vigesimo tertio. Siqui longo tempore in occasione vel consuetudine peccandi perstiterint, & tamen interea sæpius confessi fuerint, nunc autem vitam serio emendare incipiant, suadenda est illis confessio generalis, quia prudens subest dubium de valore antecedentium confessionum, ut autem non deterreat difficultas, offerat Confessarius instructionem super modo eam instituendi.

CAPUT XXI.

QUID AGENDUM CUM ILLIS, QUI IN ODIO ET INIMICITIA CUM ALIIS VIVUNT.

Resp. primo. RUdes invidiam sæpe cum odio confundunt, quare, si se accusent, quod proximum odio habuerint, inquirendum, an verum, & quale fuerit odium; quod in se non est, nisi aversio voluntatis ab illo, quod tanquam malum apprehenditur, hæc aversio potest esse ab ipsa persona, in quantum quis illi vult inferre malum, vel cupit, ut inferatur, sicut & si de malo alterius gaudeat, de bono tristetur, odium hoc oppositum charitati peccatum est ex genere suo mortale; potest quoque hæc aversio esse contra qualitatem personæ adhærentem, quod quis sit injustus, usurarius, lascivus, inobediens &c. ubi odisse injustitiam præcise, aut usuras peccaminosum non est, quo sensu dicit David : *iniquos odio habui, vidi prævaricantes, & tabescebam*, instruendi sunt simplices, quomodo amor proximi cum sancto illo odio conjungatur, & tunc verè ametur, dum ejus peccata non amantur.

Secundo. Cum ex inimicitia oriatur odium, ex odio varia nascantur peccata, siquis tantum confitetur, se quodam tempore in inimicitia vixisse cum proximo, diligenter examinandus est pœnitens, num tempore istius inimicitiæ, & quoties mala gravia serio imprecatus fuerit, aut talia reipsa intulerit, an & quoties, & coram quot

per-

personis inimico graviter detraxerit: vel detrahendo gravia ipsi damna causaverit, an fovendo inimicitiam, & illam externe ostendendo alios scandalizaverit, ubi cognito delictorum statu paterne illum adhortetur Confessarius ad deponendam inimicitiam, & ad reconciliationem evangelicam, *remittendo de corde suo*, & non externam tantum, ac simulatam suaviter inducat.

Tertio. Quamvis offensus servato ordine juris possit exigere satisfactionem pro injuria sibi illata, tamen offendenti velle malum, ùt illi malum, illicitum est, & contra charitatem, sicut & peccaminosum est illi negare signa communia charitatis, quæ ante offensam sibi mutuo exhibere solebant, aut ostendere signa externa veræ inimicitiæ, quia lex, qua prohibemur odisse inimicum, vetat signum odii; arguendi tamen non sunt, qui communia ista signa ad tempus ex justa causa subtrahunt, ut si Parentes ad exemplum Davidis 2. Reg. 4. hæc denegent liberis, contra voluntatem Parentum nubentibus, aut aliter inobedientibus, ad ostendendum justum dolorem, aut ex intentione, ut errorem agnoscentes corrigantur.

Quarto. Pœnitens, qui inimico reconciliari, aut signa consueta & communia dilectionis exhibere recusat ex vindicta, indispositus est, & absolvi non potest; retinet enim affectum ad peccatum per ulciscendi desiderium permanens, quod etiam vitandum est parentibus, & superioribus, ne prætextu correctionis foveatur in corde odium.

Quinto. Ne tamen ignoſcere recuſans omnino deſeratur, ſuaviter illum excitet Confeſſarius, ut per aliquod tempus humiliter à Deo poſtulet gratiam ſe ipſum vincendi, & vindictam Deo committendi, proponantur etiam illi quædam charitatis exercitia, ut conformiter exemplo Chriſti quotidie quaſdam preces perſolvat, & Deo ſuam, ſuique inimici ſalutem commendet, bene perpendens, quid ſibi in ſimilibus circumſtantiis fieri vellet, idem etiam inimico faciendum eſſe judicabit, ſi ad hæc verba orationis dominicæ adtendat: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Sexto. Ad promovendam reconciliationem utile eſt hoc ratiocinium: inimicus, qui felicitatem noſtram vel aperte, vel occulte ſubvertere adlaborat, lædendus non eſt, attenta lege charitatis erga noſmetipſos, ſi enim hunc lædimus, odium ejus ingraveſcet, majorique flagrabit nocendi cupiditate, ita ergo felicitatem noſtram ipſi deſtruimus contra legem naturalem; ignoſcendum igitur eſt inimicis, & è medio tollenda injuria tanquam cauſa odii, qua ſublata eodem inimicum loco habebimus, quo cæteros homines.

Septimo. Si pœnitens dicat ſe inimico remiſiſſe injuriam illatam, ut veritas loquentis manifeſtetur, interroget Confeſſarius; an illum honorifice alloquatur, aut ſalutantem reſalutet, an æquo animo ferat, quod alii cum illo converſentur & amicitiam foveant, ſi enim ſimilia ægre tulerit, aut amicitiam illius cum aliis diſſolvere conetur,

ſicut

ſicut & ſi illum videns in aliam viam deflectat, ut ſigna communia iſti exhibere non teneatur, aut ejus conſpectum ſubterfugiat, ſignum eſt ſimulatæ reconciliationis, & latentis odii.

Octavo. Ut Confeſſarius advertat, an ſincere loquatur pœnitens, qui confitetur, ſe hucuſque quidem ſincere non remiſiſſe, nunc autem vere & ex corde remittere, faciat ſibi exponi totam ſeriem injuriæ illatæ, ubi ex modo narrandi, & ex verbis prolatis ſine difficultate conjiciet Confeſſarius, qualiter interne ſit conſtitutus confitens, ſi enim lateat adhuc in corde odium, ſine rancore, & æſtu ferventis animi ſeriem rei non exponet, ſi autem averſio reipſa ſit ſublata, narrabit cum temperamento modeſtiæ, & charitatis.

Nono. Diſtinguendum hic eſt inter affectum odii, aut vindictæ, & inter naturalem injuriæ memoriam, vel animi reſultum ad inimici conſpectum, hos enim naturæ horrores ſtatim ab initio deponere impoſſibile eſt, unde, ſi pœnitens dicat, ſe quidem non odiſſe, attamen non poſſe aſpicere, alloqui, aut ſalutare inimicum, ſine motu amaritudinis & rancoris, videndum eſt, an ſint involuntarii naturæ motus, dum plerumque in memoriam tantùm recurrit horror injuriæ acceptæ, & tunc pœnitentem abſolvendum eſſe conſtat, ſi vero ſint motus voluntarii conjuncti cum imprecatione gravis mali, aut cum deſiderio vindictæ, Confeſſarius inducat illum ad remitttendam ex corde offenſam, quod ſi facere renuat, tanquam indiſpoſitus abſolutione careat.

Decimo. Inimico veniam petenti, & testanti quod vere doleat, tenetur offensus ex corde remittere secundùm legem Christi Luc. 17. *Si frater tuus. . . peccaverit in te*, & dicit, *pœnitet me, dimitte illi*, generaliter tamen is reconciliationem quærere tenetur, qui posuit causam inimicitiæ, *si offers. . . relinque ibi munus, & vade reconciliari fratri tuo*, *Matth.* 5. *non pedibus corporis* inquit *S. Augustinus*, *sed motibus animi*, & quidem ad id inter duos æquales titulo justitiæ tenetur, qui prior læsit, si vero sint disparis conditionis, prudentia opus est. Nec filius, famulus, subditus à Patre, Domino, superiore gravius læsus, eadem humiliationis signa exigere potest, quæ Pater offensus à Filio, aut Dominus à famulo superior à subdito requirit; sufficiat exterioribus signis ostendere, quod cesset animi commotio

Observa. Inimicorum dilectio includitur in præcepto universali, quo proximum propter Deum diligere adstringimur, ut liquet tum ex ipsa idea proximi, & ratione motiva amoris erga proximum, tum ex variis scripturæ locis, præsertim *Matth.* 5. ubi Christus scribis & Pharisæis qui versum 18. cap. 19. *Levitici : Diliges amicum tuum sicut te ipsum*, de solis Judæis & consanguineis interpretabantur, ait: *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, orate pro persequentibus &c.* unde quod dicitur: *odio habebis inimicum tuum*, non est ex Lege sumptum, sed additum ex prava Judæorum interpretatione.

Unde-

Undecimo. Si pœnitens ad remittendum aliqualiter inclinatus, dicat, valde durum esse, quod ex integro condonare debeat injuriam gravem ab illo sibi illatam, cui varia ab ante præstiterat beneficia, respondendum est, licet id durum videatur, tamen impossibile non est, sed maxime meritorium, dum etiam ingrato sponte remittit injuriam, quod ut facilius fiat, proponantur illi exempla Christi Domini, S. Stephani, vel alterius Sancti.

Duodecimo. Non tenemur per se inimico exhibere signa particularia dilectionis, aut beneficia specialia, qualia sunt mœstum consolari, infirmum invisere, aut hospitio suscipere, pecuniam mutuare, ad familiare alloquium admittere, quia sine his signis dilectio proximi subsistere potest; per accidens tamen similia signa exhibenda sunt, si inimicus sponte veniam petit tempore & modo debito, aut si illius necessitas gravis id exigit, si ex negatis ejusmodi signis grave scandalum oriatur, & si per illa signa offenso simul & Deo reconciliari commode possit inimicus, alias in perverso animo permansurus; cuilibet enim mandatum est de proximo, ut illius ruinam spiritualem avertat, quia *hoc est præceptum meum*, inquit Christus Joan. 15. *ut diligatis invicem.*

Decimo tertio. Expedit hic sæpius proponere motiva, quæ ad mutuum amorem, & ad congaudendum aliorum felicitati nos incitare possunt, ut sunt eadem natura humana, in qua relucet ipsius Dei imago; eadem Christi beneficia, ejusdem hæreditatis promissio; & idem finis, ad

quem

quem conditi ſumus, ignoſcendum tandem eſt, ſi æternum perire nolumus, ac proinde melius eſt cito ignoſcere, ut periculum evadamus, & per hoc Chriſto placeamus, qui diſcipulis rogantibus, ut ignem de cœlo in impios faceret deſcendere, iratus dixit: *neſcitis, cujus Spiritûs eſtis.* Apoſtolus monet: *alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

CAPUT XXII.

IN QUO PONITUR INFORMATIO PRO CASIBUS, IN QUIBUS AGITUR DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS.

Primo. Cum peccatum injuſtitiæ ſit valde frequens hiſce temporibus, & ſæpius in materia reſtitutionis adducantur caſus valde difficiles, caveat Confeſſarius, ne ſemper reſolvat ex tempore, reſtitutionem eſſe aut non eſſe faciendam, cum reſolutiones ejuſmodi obnoxiæ ſint periculo erroris, quare Confeſſarius conetur exacte ſcire principia inprimis generalia hujus materiæ, pro quo

Secundo. Reſtitutio tanquam actus juſtitiæ commutativæ, quo res aliena redditur, aut damnum injuſte illatum reparatur, non ex violatione charitatis, ſed ſolius juſtitiæ commutativæ oritur, quia reſtitutio æqualitatem ponit inter datum & acceptum, inter damnum & compenſationem ejus, quod ad juſtitiam commutativam pertinet, & ſi ex læſione juſtitiæ legalis, diſtributivæ, aut vindicativæ,

tivæ aliquoties obligatio restitutionis oriri dicatur, verum id esse docent Theologi, si simul violetur justitia commutativa.

Tertio. Ad habendam regulam generalem circa obligationem restitutionis sequentia notentur, *primo* : In restitutione solius rei bona fide acceptæ, tantum quis restituat, quantum de re aliena adhuc possidet, vel quantum inde factus est ditior. *Secundo* : In restitutione ratione injustæ acceptionis aut damnificationis, tantum restituat, quantum illatum est damnum, ut Dominus indemnis servetur. *Tertio* : In restitutione ex contractu omnis res quæ perit, suo Domino perit, & omnis res quæ culpa perit, culpabili perit.

Quarto. Obligatio restituendi nunquam oritur ex damno absque omni prorsus culpa alteri illato, quia absque illa nulla datur injuria, ubi autem nulla intercedit injuria, nulla nascitur obligatio restitutionis, cum injuria contraponatur justitiæ commutativæ, ac proinde, siquis casu fortuito etiam grave damnum minime prævisum intulerit, compensare illud non tenetur, quamvis damnum ex actione aliunde illicita sequatur.

Quinto. In foro conscientiæ ad obligationem gravem restituendi requiritur culpa Theologica gravis, nisi speciale intervenerit pactum, nec ante sententiam judicis tenetur quis compensare damnum sine culpa Theologica gravi illatum, bene tamen post illam, quia sententiæ secundùm leges ex culpa juridicè præsumpta latæ se conformare tenetur subditus, quod pariformiter dicen-

dum

dum extra officium aut contractum; si adfuerit culpa merè juridica.

Sexto. Restitutio ordinariè facienda est illi, qui damnum passus est, quia cujus jus immediatum est violatum, illum indemnem servari æquitas naturalis postulat. Res à possessore bonæ fidei, ut sunt commodatarii, depositarii &c. ablata istis, non autem Domino restitui debet, quia per possessionem & detentionem rei in jura Domini succedunt. Res à possessore malæ fidei ablata non huic, sed Domino est restituenda.

Septimo. Quando etiam in confuso tantum notus est Dominus, res in causas pias non est eroganda, sed diligentia adhibenda, ut Dominus determinatus inveniatur, & si Dominus sit mortuus, ejus hæredibus aut propinquis est facienda restitutio, non comparente autem Domino, nec ejus hæredibus, rem inter pauperes dividendam esse in jure disponitur.

Octavo. Si alicui videatur probabilius rem esse alienam, tenetur illam Domino cognito, vel pauperibus, si cognosci nequeat, restituere cum omnibus fructibus, quia prudens formare non potest Judicium, rem esse suam, imo si utrimque æqualis omnino sit probabilitas, adeo ut dubium prudenter deponi non valeat, res illa cum altero, de quo dubitatur, est dividenda.

Nono. Communiter ad restitutionem sunt obligandi, qui à quibuscunque personis varias res & suppellectilia coemere solent, maxime post

depræ-

deprædationes aut incendia, ſicut & qui ſimilia emunt à Filiis familias, ab ancillis aut famulis, licet pretium datum non ſint recepturi, quia rationabiliter dubitare debent, annon illa ſint parentibus aut dominis occulte ſubducta.

Decimo. Ordinarie etiam ubi reſtitutio facienda eſt certa, urgendus non eſt pœnitens, ut ante abſolutionem impetrandam reſtituat, ſed ſufficit ſeria promiſſio de reſtitutione quamprimum facienda, niſi pœnitens fidem ſæpius modo datam culpabiliter fefellerit, quo in caſu neganda eſt abſolutio, donec prius reſtituat.

Undecimo. Pœnitens qui ob prudentem timorem propriæ infamiæ aut alterius incommodi per ſe ipſum reſtituere nequit, curare tenetur, ut reſtitutio fiat per alium fidelem, adeo ut res reſtituenda ſecure perveniat ad manus creditoris, ipſe Confeſſarius ſi urgente cauſa electus onus hoc in ſe ſuſcipiat, ſedulo caveat, ne aut ſigillum Sacramentale, aut fama pœnitentis violetur.

Duodecimo. Male faciunt illi, qui debitum præſertim ex delicto etiam per partes & ſucceſſive contractum, ſtatim moraliter & quidem totum, ſi poſſint, non extinguunt, quia creditores exponunt periculo damnorum, & injuſte retinent res alienas, ad quas reſtituendas ſe obligatos eſſe ſciunt.

Decimo tertio. Abſolvendi non ſunt, qui reſtitutionem rei alienæ differunt ſponte uſque ad mortem futuram, aut qui illam hæredibus committere

mittere intendunt, peccatum enim non dimittitur, nisi adsit seria voluntas restituendi ablatum, quæ sane non adest, cum satis prævideant dilationem illam, aut commissionem esse periculosam, & quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, est regula generalis, quam ipsa lex naturalis præscribit.

Decimo quarto. Si ab aliquo moribundo adferatur casus restitutionem concernens, sed adeo dubius, ut Confessarius illum modo resolvere non possit, nec mora patiatur fieri inquisitionem aut interrogationem apud doctiores, persuadeat illi Confessarius, ut coram testibus aut hæredibus declaret moribundus, aliquam pecuniæ summam extradendam esse Confessario, eámque ad causam piam esse exponendam, tum ut fama ad restitutionem obligati conservetur, tum ut hæredibus, si causa restitutionis faciendæ non inveniatur, pecunia sub prætextu ignoto restituatur, vel etiam causis piis impendatur, si sponte id moribundus elegerit; ad hoc ultimum moribundus non est inducendus à Confessario, quatenus respicit proprium hujus commodum, aut utilitatem Ecclesiæ propriæ, vel familiæ; sed tunc præstat consilium distribuendi pauperibus, dum creditores sunt incerti.

Decimo quinto. Restitutio rei alienæ, aut damni illati compensatio non est necessaria necessitate medii in re, cum non sit medium ordinatum ad justificationem, & defectus illius suppleri possit per sincerum voluntatis affectum, dummodo impotentia physica aut moralis non adesset, hæc

enim

enim à restitutione excusat, quamdiu durat, unde illa cessante prior obligatio reviviscit.

Decimo sexto. Asserenti se esse impotentem, dum alias obligatio ad restitutionem est certa, non semper fidem adhibeat Confessarius, ne facile decipiatur, sed sedulo inquirat, num reipsa adsit impotentia, & unde illa proveniat, plures enim sæpe nimium rerum temporalium tenaces, ut ab onere isto externe liberentur, impossibilitatem falso prætendunt, in conscientia nullo modo per hoc deobligati; aut etiam ex propria culpa sese quandoque impotentes reddunt, dum bona dilapidant, aut laborem, ex quo lucrum reportare possunt, sponte negligunt, aut etiam œconomiam moderate non coarctant, minime curantes damna illorum, quibus compensatio est facienda, & tales, quia reparationem de se necessariam culpabiliter negligunt, absolvendi non sunt, nisi specialia emendationis indicia adpareant, quia si res aliena non reddatur, pœnitentia non agitur, sed dissimulatur.

Decimo septimo. Qui propter furta etiam levia successive continuata ad magnam quantitatem pervenit, adeo, ut alter grave damnum passus fuerit, ad compensationem obligatur, licet ab initio non habuerit intentionem graviter damnificandi, sufficit enim, quod voluntarie grave damnum reipsa causaverit, cum Dominus rei æque rationabiliter sit invitus, si res notabilis successive, ac si simul auferatur, & si talis animum semper habeat perveniendi ad notabilem quantitatem, in singulis furtis etiam levibus graviter

viter delinquit propter malum affectum. Si damnificatio plures nullo nexu conjunctos gravat, & levis ſit quoad ſingulos, lucrum autem ſit magnum, gravis eſt obligatio dandi pauperibus, aut adplicandi ad pias cauſas, cum notabiliter diteſcere velle de alieno ſit gravis injuſtitia.

Decimo octavo. Pœnitens reſtitutioni obnoxius moneri neceſſario debet, ut parti læſæ ſatisfaciat, præſertim ſi maneat prudens dubium, an obligationem iſtam adprehendat, quamvis damnum illatum ſit confeſſus, quia ſimplices peccatum agnoſcentes, ſæpe de obligatione competente non cogitant; ſi autem prudenter judicetur ſcire hanc obligationem, adhuc indirecte talem pœnitentem monere poterit Confeſſarius dicendo: non dubito, quin ſerio intendat ſatisfacere ob damnum cauſatum, quare ab ulteriore admonitione abſtineo.

Decimo nono. Si reſtitutionis difficultas obmoveatur à pœnitente, proponat illi damnum illatum reparandi neceſſitatem, & quam inania ſint mundi hujus bona, de quorum poſſeſſione ne per horam quidem certus eſſe poteſt homo, & ſi etiam male adquiſita ad hæredes pertranſeant, vix de illis gaudebunt, ut commune fert adagium, adeoque difficultas tollenda eſt, ne & temporalia & æterna damna ſequantur.

* * * *

CAPUT

CAPUT XXIII.

QUID OBSERVANDUM CONFESSARIO CIRCA POENITENTES, QUI VARIIS VEXANTUR TENTATIONIBUS.

Primo. EXagitati quandoque tentationibus non ſtatim animo cadant, ſed mentem & vires excitent ad certamen ut vincant, *fidelis enim Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum ut poſſitis reſiſtere* 1. Cor. 10. dum ipſe Deus ſæpe permittit tentationes in bonum ipſius tentati, qui hujuſmodi tentationes vincens experietur virtutis incrementum, animi tranquillitatem ob frequentem victoriam, & conjunctionem animæ cum Deo, de quo Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.*

Secundo. Tentatio tanquam incitamentum ad peccatum oritur vel à natura noſtra corrupta, prout quilibet *tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus* Jac. 1. dum vis imaginativa, & intellectus excitatur ad cogitationes malas, vel à Dæmone, dum varia objecta mala repræſentantur, cum impetu ſuperante vires conſuetas paſſionum, quas aliquis ab ante ſæpe expertus; vel denique à Dæmone & ſimul à concupiſcentia noſtra, quales tentationes ſunt magis communes, homines enim ſumus, adeoque nihil humani à nobis alienum eſſe judicare oportet.

Tertio. Tentatio in ſe, ſicut & prima cogitatio de objecto etiam turpi & prohibito ad cul-

pam non imputatur, quamdiu quis debitam adhibet resistentiam, nec liberum ponit consensum, ad omne enim peccatum requiri voluntarium nôrunt Theologi, siquis tamen malum, ad quod tentatur, sponte amplectitur, tentationi succumbere dicitur, *concupiscentia* enim *cum conceperit, parit peccatum.*

Quarto. Ad superandas tentationes multum conducit diffidentia sui ipsius, & christiana humilitas, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, impetrat quoque auxilia divina hìc necessaria constans & devota oratio, monente Christo Domino: *petite & accipietis*; orationi adsociari debet fortitudo, quæ subsidia divina precibus impetrata adhibet, mentis anxietatem excutit, ac impedit, ne quis se temere periculo exponat.

Quinto. Vitandum vel maxime otium, ut semper occupati inveniamur, ne inimicus homo superveniens nociva seminet zizania, hæc enim quilibet sedulus & laboriosus vel impediet, vel radices agere non sinet, desidem autem, & otiosum stringet laqueus Diaboli, prout exemplum Davidis Regis adulteri simul & homicidæ luculenter & satis ostendit.

Sexto. Qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem, & tentationem patientur qui autem genio indulgent, item qui per acediam torpent, & de salute animæ solliciti non sunt, erroneè putant se esse à tentatione liberos dum à Diabolo captivi tenentur, & in quodvis malum pro-

ruunt,

ruunt, seducti à propria concupiscentia, nullam luctam experiuntur, horum falsa pax, & securitas eos facit compassione dignos, cum multo deterioris sint conditionis quàm illi, qui per tentationes discunt ejus sententiæ divinæ veritatem: *militia est vita hominis super terram*; quia hi peccatum evitare efficaciter intendendo, & tentationi fortiter in fide resistendo, spiritualia victoriæ commoda obtinent, isti vero decepti per falsam speciem libertatis fiunt *servi iniquitatis*, divinæ majestatis reos se faciunt, & æternæ damnationi, nisi resipiscant, obnoxios.

Septimo. Quando pœnitens confitetur tentationes esse nimis vehementes, aut continuas, reponendum, omnia nos posse in Deo, qui nos confortat, nec diffidendum esse auxilio Dei, quod etiam in tentatione præsens est, ut S. Paulus exemplo suo nos docuit qui videns *in membris legem repugnantem legi mentis*, & ab illa liberari cupiens, responsum à Deo accipiebat: *sufficit tibi gratia mea*, quæ in illo vacua non fuit.

Octavo. Tentationes præsertim molestæ aperiendæ sunt Confessario tanquam directori spirituali eo fine, ut ille possit pro solatio & spirituali directione pœnitentis media necessaria præscribere.

Nono. Quamvis suggestiones diabolicæ diutius durent, nullo tamen modo signa externa illas manifestantia prodat, vultu simuletur plena animi tranquillitas, siquis præsens fuerit, intentiùs instetur operi, quod tunc peragendum,

aut colloquio attendatur, compressiones oculorum, capitis inflexiones, motus labiorum, etiam crucis formationes tempori & loco incongruæ tantùm præbent mimicum spectaculum aspicientibus & hos vel movent ad risum, vel ad commiserationem, vel aliquando ad suspicionem affectationis superbæ, quâ laus timoratæ conscientiæ captatur. Si solus fuerit, nequaquam cum hoste tentante contendat verbis, quia talis altercatio tentationem augere solet. Expedientissimum est brevi piâ cogitatione se armare, & in Domino spem figere, tum statim ad operas congruas divertere; sæpe cogitanda Dei præsentia.

Decimo. Si oriantur tentationes adversus angèlicam puritatem, cavendum, ne quis nimium & immoderatè speculetur turpitudinem actûs, ad quem ponendum tentatio inducit, dum prætexitur, hoc fieri, ut magis abhorreatur, facilè augebitur phantasia; potius cogitetur, quod coram præsente Deo nimis vile sit creaturam ab eo immortalitate donatam, & ad altiora elevatam deprimi ad ea, quæ brutis sunt communia.

Undecimo. Siquis tentatur Spiritu vindictæ ab inimico sumendæ, conetur ille è memoria expellere injuriam sibi illatam, viva enim hujus repræsentatio hominem magis instigat ad ulciscendum, ubi cessante tentatione cogitet, quod Deo vindicta relinqui debeat, & concedendum sit aliquid fragilitati humanæ, ut omnis ulciscendi animus deponatur, cogitetur parabola de servo nequam.

Duo-

Duodecimo. Sunt qui tentantur circa prædestinationem, & plerumque homines devoti, quos hoc modo Dœmon perturbare, & à via justitiæ dejicere intendit, his persuadeat Confessarius humilitatem, & obedientiam nobis à Deo præcipi, signumque prædestinationis certum esse, si simus verè humiles Deo constanter obedientes, prohibuit Deus *scrutari investigabiles vias suas*, jussit autem per bona opera certam facere vocationem.

Decimo tertio. Vana est, & maxime periculosa, adeoque tanquam inanis contemnenda hæc aliquorum consultatio: quid faceres, si aut peccare, aut æternam damnationem subire deberes? quid eligeres, si vel hoc immane tormentum tolerare, vel istud delictum perpetrare cogereris? deliberationes ejusmodi elidantur hoc modo: ne in ipso quidem inferno miser esse possem, si amore & gratiâ sua me Deus foveret. Solum itaque hoc necessarium est, ut diffidam mihi, & confidam in Domino, qui non deserit, nisi deseratur.

Decimo quarto. Nonnulli usque adeo putant se à tentationibus immunes non esse, si aspiciant res honestas, aut etiam Sacras Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum imagines, adeo ut aspicientes experiantur repræsentationes obscænas, motus turpes, aut etiam cogitationes blasphemas & hæreticas; verùm taliter tentati non cedant tentatori, sed pio mori sanctæ Matris ecclesiæ se audacter conforment imagines aspiciendo & reverenter asservando, quia objecta ista non possunt esse causa talium fœditatum, neque motus isti sunt voluntarii, sed vana illusio perturbatæ

phantasiæ, cui nisi providè resistatur, paulatim inducit emotæ mentis delirium insanabile. Confessarii prudentes monent oblivione & contemtu phantasmata illa esse dissipanda, & audiendum esse monitum Ecclesi. 38. *Fili! in tua infirmitate non aspicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.*

CAPUT XXIV.

IN QUO TRADITUR MODUS AGENDI CUM HÆRETICO, AUT JUDÆO, QUI AD ECCLESIAM CATHOLICAM ADMITTI DESIDERAT.

Primo. NOn hac in re cujuslibet petitioni statim fides adhibenda, plures enim dum premit necessitas aut vitæ commodioris desiderium illicit, Ecclesiam aut veram Religionem se quærere simulant, dum reipsa quærunt culinam, aliudve commodum temporale, quod genio liberius indulgere faciat, voti compotes facti vel ad priorem vomitum redeunt, vel externâ simulatæ religionis Catholicæ figurâ abutuntur ad improba pravi animi consilia, quæ vel avaritia, vel ambitio suggerit; quare probandi sunt Spiritus, utrum ex Deo sint. Qui non intrant per ostium, quod est Christus, aut bene ingressi gratiam humilitate non custodiunt, horum conversio constans esse non poterit, cujus veritatis testimonium exhibent Ecclesiæ primordia in Simone Mago, Hymenæo, Cerintho, aliisque.

Secundo.

Secundo. Diligenter proinde inquirendum in motiva & cauſam, cur Religionem illam, in qua natus & educatus quis fuit, deſerere, & catholicam amplecti deſideret, cauſa hæc, ſi alia ſit, quàm invenire veritatem, & animæ ſalutem, nullius erit fidei, dicente Domino: *quærite primùm Regnum Dei* &c. Juvat etiam inquirere in conditionem illius, ſtatum & capacitatem, ex quibus veritas motivi ſubſiſtentis haud raro derivatur, ſi ſolidis ex conjecturis remaneat dubium de ſufficientiâ motivi, ad fidei profeſſionem feſtinari non debet.

Tertio. Si motivum verum adeſſe comperiatur, & convertendus conſtans perſeveret, inquirendum, an voluntariè adhæſerit errori alicui contra veritatem fidei catholicæ etiam poſtquam hæc ſufficienter fuit propoſita, & poſtquam cognovit illam tanquam revelatam ſuſtineri ab univerſali Eccleſia, an verò erroneæ doctrinæ adhæſerit ex ſimplicitate, ignorantia, informatione parentum, magiſtrorum, & prædicantium aut quia defuit ſufficiens inſtructio, an diſpoſitus aliquando fuerit ad errorem illum deponendum, ſi veritas innotuiſſet, aut ſaltem tunc, dum ſe ſiſtit, habeat ſinceram intentionem Catholicæ Eccleſiæ ſe ſubmittendi, ſi compererit, eam eſſe veram.

Quarto. Si dicat aliquoties incidiſſe dubium, annon illa, quæ à Catholicis credi, & neceſſario credenda eſſe audivit, item quæ forſan obſervavit fieri à Catholicis, ſint præferenda his, quæ inter ſuos audivit, & vidit contraria,

ſuadeatur, ut aures cordis non obſtruat voci Dei interius loquentis, ſed, cum agatur de ſalute æternâ, inquirat. Opportuna erit ſimilitudo de homine conſtituto in bivio, qui, niſi deſipiat, non omittet interrogare, dum poteſt, quæ via ad patriam ducat. De infirmo dubitante, cui duorum medicorum diverſiſſimæ ſententiæ corpus ſuum committat.

Quinto. Cum dubitans, aut de æternâ ſalute anxiè ſollicitus de Catholico, cui ſuum dubium, vel anxietatem aperit, præjudicium concipiat, eum pro ſuâ religione locuturum, expedientiſſimum erit conſulere, ut à Deo aliquot diebus conſtanti oratione petat illluminationem intellectûs, cum *omne donum perfectum de ſurſum ſit à Patre luminum*, pro exemplo ſit Cornelius Centurio, Sergius proconſul, ille converſus per Petrum, hic per Paulum, ſed moneatur, ut integerrima ſit animæ diſpoſitio, & ex amore Dei doleat de peccatis, quorum ſcit ſe reum, quia *in malevolam animam non poteſt introire Spiritus ſapientiæ.* Benignè ſe tali paratum exhibeat, quando, & quotiescunque redire voluerit, ad *dandam ſcientiam ſalutis.* Hoc medium primordiale doctis, indoctiſque perinde congruit, ſed poſtea diſparibus mediis ducendi ſunt. Si obediat, deſinit eſſe hæreticus coram Deo ſeu, ùt vocant, formalis.

Sexto Nomine veritatis Catholicæ hic venit illa, quæ vel Sacris literis expreſſe continetur, aut ex illis clare deducitur, vel quæ habetur ex traditione Apoſtolica, vel ex Conciliis generalibus

bus legitime congregatis, aut à ſummo Pontifice utpote univerſali Capite definita tanquam de fide.

Septimo, In principio inſtructionis ſtudeat informans enervare præjudicium indifferentiſmi particularis, quod quilibet in Religione Chriſtiana, ſive Romano-Catholica, ſive Lutherana, ſive Calviniſtica illa fuerit, ſalutem animæ invenire poſſit, ac proinde oſtendat, quod unica tantum poſſit eſſe vera Religio, cum hæc ſit ab ipſo Deo, qui tanquam prima veritas neſcit docere oppoſita. Quare

Octavo. Perperam & pernicioſè excogitata eſt illa doctrina circa articulos fidei ſubſtantiales, & accidentales, omne enim à Deo revelatum ad fidei ſubſtantiam pertinet, cui prudens & firmus aſſenſus præſtari debet, quia authoritas Dei in loquendo infallibilis intercedit, adeoque in omnibus à Deo revelatis, & quæ Eccleſia ut credenda propoſuit, captivare tenemur intellectum noſtrum in obſequium fidei.

Nono. Criterion, quod pro dignoſcenda vera Eccleſia adferunt Proteſtantes, nimis generale eſt, prædicationem enim puri verbi divini, & Sacramentorum adminiſtrationem Lutherani æque prætendunt ac Calviniſtæ, & tamen inter ſe litigantes non conveniunt, exemplo ſit auguſtiſſimum altaris Sacramentum, de quo pugnantia loquuntur Lutherani, & Calviniſtæ, quare pro veritate Eccleſiæ aliæ notæ characteriſticæ aſſignari debent, quæ in ſenſu vero & Catholico ſunt ſequentes.

Decimo.

Decimo. Ecclesia debet esse *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica*, ut ante sæcula quatuordecim & medium declaravit Conc. Nicænum, *una* quidem per unam ubique doctrinam, & veram unionem cum suo capite Romano Pontifice, cui unitati non obstant quæstiones quædam à Scholasticis disputatæ, cum non contendatur de materiâ fidei definitâ, sed quis modus definitam, omnibusque Catholicis certam fidei thesin explicandi melior videatur e. g. quomodo cum præscientia Dei, quam docemur per textum: *omnes vias meas prævidisti*, libertatem arbitrii nostri aptiori phrasi, seu loquendi modo concilianda videatur. Quamdiu nullus ex oppositis loquendi modis damnatur summi Pontificis, aut legitimi Concilii definitione, utimur liberâ disputandi facultate. *Sancta* sanctitate doctrinæ moralis, cum, quidquid facere & vitare jubemur per Evangelium, & scripta Apostolorum, & sacros Ecclesiæ nostræ canones, sit pura & intaminata doctrina & quæcunque actiones reprehendi merentur, sint contra Regulam, quam pastor æternus nobis fixit per Ecclesiam docentem. *Catholica* græcè, latinè autem *universalis* per quatuor mundi partes protensa, cum antipodes Sacrificium & Sacramenta, & caput visibile profiteantur, sicut nos germani. *Apostolica* fundata à Christo per se, & per Petrum, cæterosque Apostolos, ac 42. discipulos, quibus defunctis Christus sacerdos in æternum suffecit, & usque ad consummationem Sæculi sufficiet alios. Accedunt Miracula, Prophetiæ, Martyria, conservatio continua inter Idololatrarum, & hæreticorum persecutiones successorum S. Petri traducta per seriem octodecim fere

sæcu-

ſæculorum à S. Lino, qui primus S. Petro ſucceſſit uſque ad Pium VI., qui nunc Romanæ Eccleſiæ Cathedram occupat.

Undecimo. Eccleſia aut vera non eſt, aut neceſſario in rebus fidei & morum infallibilis, cum *columna, & firmamentum veritatis* dici nequeat, ſi poſſet fallere, cumque ſola ſcriptura Sacra, in quâ multa continentur *intellectu difficilia*, quæ *indocti* per ignorantiam, *inſtabiles* per malitiam *depravant*, per ſe ſolam eſſe non poſſit Regula ad decidendas controverſias, & ad dubias fidei quæſtiones reſolvendas ſufficiens, alium judicem admittamus neceſſe eſt, talis nequit eſſe privatus S. Biblia legentium Spiritus, ſeu proprium cujuſque ingenium, cum e. g. inter Lutheranum & Calviniſtam ſibi contradicentes nihil ſit, quare alterutri potius aſſentiri oporteat, ſed Eccleſia in Conciliis generalibus legitimè adunata, aut etiam Pontifex ex Cathedrâ loquens, pro quo tanquam divi Petri ſucceſſore rogavit Chriſtus Dominus, ne fides illius deficiat, & ut confirmet fratres.

Duodecimo. Sicut extra arcam Noe, ſic extra hanc veram Chriſti unicam Eccleſiam ſalus inveniri non poteſt, ideo neceſſe eſt eam eſſe viſibilem, ſi enim, qui pereunt, ſua culpâ pereant, neceſſe eſt conſtare hominibus, ubi doceri poſſint; ſi ex Chriſti ſententiâ: *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus* neceſſe eſt ſcire, quorum ſecuro miniſterio nobis Dominus loquatur. Hujus Eccleſiæ *filii*, hujus *civitatis Sanctæ* nos *cives* efficimur per Sacramentum regenerationis ex *aquâ & Spiritu Sancto.*

per

per Baptiſmum facti ſumus ſubditi poteſtati hierarchicæ Epiſcopi, & ſummi Pontificis; ſi Eccleſia eſſet compoſita ex ſolis juſtis, aut prædeſtinatis, & conſequenter inviſibilis, neſciremus, an obediendum ſit Papæ, aut Epiſcopo, cum certi non ſimus, an ſint in ſtatu gratiæ, imo nequidem, an nos ipſimet ſimus in ſtatu gratiæ.

Decimo tertio. Hiſce, ſi fides adhibeatur, proponi poſſunt illa, in quibus proteſtantes nobiscum conveniunt, quod Deus ſit unus in naturâ, tribus in Perſonis, quod ſit remunerator bonorum operum, & vindex malorum mediante judicio, quo bona & mala opera diſquiret filius Dei pro nobis incarnatus, & paſſus. Hæc omnia, nullo eorum puncto excepto, credimus, quia Deus omniſcius, & verax, ac Sanctus nobis ea revelavit atteſtante Eccleſiâ.

Decimo quarto. Deſcendendum deinde ad dogmata controverſa inter Catholicos, & eos hæreticos, ad quos pertinebat converſus e. g. de Juſtificatione hominis, de numero Sacramentorum, de Purgatorio, de cultu Sanctorum, de Præſentia reali Chriſti in Euchariſtiâ, de Authoritate Eccleſiæ Romano Catholicæ. Sed obſervari omnino debet, quid Perſonæ inſtruendæ congruat; aliter dirigendus eſt doctus, aliter homo rudis, aliter ſanus, aliter in periculum vitæ per morbum redactus. Quiſquis autem fuerit, monendus eſt, ut conſtanter pergat à Deo petere illuminationem intellectus & bonæ voluntatis confirmationem, & ut reflectat, quantis falſitatibus deludantur heterodoxi à ſuis inſtructoribus e. g.

quod

quod efficaciam passionis Christi deprimamus, docendo meritum alterius boni, docendo Sanctorum pro nobis intercessionem, eos tanquam mediatores Christo æquiparemus, docendo, quod Romani Pontifices contra libertatem novæ legis induxerint Judaicam servitutem, per cæremonias per dies Jejunii, abstinentiæ &c.

Decimo quinto. Si sufficienter super scitu necessariis informatus sit Proselytus ab hæresi, præparetur ad confessionem generalem, explicando modum facilem, ut, quantum fieri potest, sit integra, & quid sit dolor supernaturalis, & propositum vitæ Deo dignæ, quomodo Sacerdos tanquam judex absolvat & quare sanctæ communioni præmittenda sit ex præcepto divino confessio Sacramentalis, dum præmitti potest à reo peccati gravis juxta verba Apostoli: *Probet autem se ipsum homo*, & sic *de Pane illo edat.*

Decimo sexto. Examen conscientiæ, cum juxta S. Synodum Tridentinam fieri debeat per *diligentem sui discussionem explorando conscientiæ latebras*, occasiones negotia, & animi vitiosas propensiones discutere debet conversus ab hæresi, *reliqua* (ut dicit S. Synodus de pœnit. Sess. 14. c. 5.) *Quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Prophetâ dicemus: ab occultis meis munda me, ipsa vero confessionis difficultas ac peccata detegendi verecundia, gravis videri posset, nisi tot tantisque commodis & consolationibus levaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per Absolutionem certissimè conferentur,*

Decimo.

Decimo ſeptimo. Formula profeſſionis fidei in Idiomate converſis noto eſt exhibenda; Pius IV. juxta Concilii Trid. diſpoſitionem præſcripſit, quibus verbis facienda ſit profeſſio fidei, & ut opportune ad uſum cuique parocho, aliiſque præſto ſit, in Agenda Colon. exhibetur latinè, germanicè, & gallicè, in ſtatutis Syn. Part. 1. Tit. 1. c. 8. omnes hæreſi infecti ad Eccleſiæ Catholicæ gremium admitti flagitantes publicè fidem orthodoxam juxta formam à Pio IV. præſcriptam jubentur profiteri. Agenda Joſephi Clementis anno 1720. edita idem præcipit, hanc utiliſſimo Coloniæ approbato brevi commentario germanico illuſtravit P. Bruns Dominicanus. Alia exſtat brevior formula, quâ quidam utuntur in converſione rudium, aut dum eſt moræ periculum.

Decimo octavo. Quantum ad Jurisdictionem Confeſſarii notandum eſt, quod, niſi moraliter certum ſit pœnitentem fuiſſe tantum hæreticum materialem, facultas abſolvendi ab hæreſi requiratur, S. Synodus Tridentina declaravit quidem, quod Epiſcopus Jure ordinario abſolvere poſſit ab hæreſi, non tamen Vicarius Epiſcopus, ſed poſtea Clemens VIII. S. Sedi eam facultatem reſervavit, inde uſque nunc poteſtas delegata datur Epiſcopis eorumque Vicariis cum facultate ſubdelegandi, ideo ſpecialis neceſſaria eſt facultas, quam dat vel Nuntius Apoſtolicus, vel Epiſcopus vel ejuſdem Vicarius generalis; legem reſervationis Papalis, & facultatem delegatam ordinarii fruſtrari non licet ex levi conjecturâ neceſſitatis præſumtæ, aut hæreſeos purè materialis, aut ob ignorantiam converſi, cum facilè poſſit

con-

convertens adire Vicarium generalem & legi ſe conformare.

Decimo nono. Congruâ inſtructione præparatum ad Confeſſionem benignè Confeſſarius excipiat, ut ad exemplum Chriſti veri Paſtoris ovem longo errore deviam, ad ſalutare ovile pertrahat, & quia hunc ardui momenti actum timidè primitus aggreditur, paternè auxilium ſubminiſtret, à prolixis interrogationibus circa numerum & circumſtantias abſtineat, dum hæreſis ad eam uſque ætatem continuata ſatis indicat, nulla interim Eccleſiæ præcepta fuiſſe obſervata; ſpecialis contemptus, ſcandaloſa aliorum ſeductio e.g. Si prædicans convertatur, Sacrilegia, Blaſphemiæ explicari debent. Opera Sacramentalis ſatisfactionis non imponantur valde gravia, ut *jugum Chriſti ſuave, & onus ejus leve* benignè doceatur. Impoſita pœnitentia confeſſum ab hæreſi, cenſura, & peccatis pro foro interno abſolvat communi hâc formâ: *Dominus noſter* &c. *& ego authoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis & interdicti.*

Vigeſimo. Quando Judæus ad Chriſtum & ejus fidem converti deſiderat, non admittatur, niſi (quantum per temporis, aliaſque circumſtantias fieri poterit) diligenter probatus, quia ob odium Jeſu Nazareni Redemptoris noſtri quaſi innatum, & parentum, aliorumque tum exemplo, tum hortatu magis irradicatum, contra Judæos præſumptio eſt, quod vel paupertate coacti, vel criminalis juſtitiæ metu urgente moveantur ad petendum Baptiſmum, ut liberius titulo lanionis,

vel propolæ possint pagos, & vicos percurrere, tenuique mercatu lucrum quærere obvelato per Religionem fraudandi proposito; eapropter laude, & imitatione dignum censendum prudentis cujusdam parochi Consilium, qui Judæo robusto Baptismum petenti tria operosa opificia proposuit, qui, dum horum unum elegit, & impigre exercuit, signum veræ conversionis dedit.

Vigesimo primo. Si ratio movens censeatur sufficiens, in eo omnis labor est collocandus, ut instruatur & convincatur Christum verum Messiam & mundi Redemptorem modo advenisse, quem frustra adhuc exspectant Judæi, dum Prophetiæ & vaticinia antiquæ legis de Messia non ad principatum terrenum fundandum, sed ut *auferatur iniquitas, & deleatur peccatum*, venturo sunt impleta, id quod haud obscure indicant vaticinia tum Jacobi Patriarchæ, *non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est*, tum Isaiæ, *ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, tum denique Danielis de septuaginta hebdomadibus, in cujus hebdomadæ ultimæ medio occidetur Christus; post evoluta tot annorum septennia apparuit dispersio Israëlitarum sedentium sine templo, sine summo Sacerdotio, sine Principe in diversis mundi partibus, ut prædixit Osce propheta. Hæc miseria populi à Deo maledicti jam non septuaginta tantum annis, sicut Babylonica transmigratio, sed annis mille septingentis & ultra duravit, durabitque imposterum.

Vige-

Vigesimo secundo. Mysteria Ss. Trinitatis, & Incarnationis peractæ si satis ad fidei actum eliciendum proposita fuerint, pergat Confessarius cum fundamento proponere, ex Ecclesiis christianis unam tantum esse veram & salvificam, eamque esse solam Romano-Catholicam, pro qua sunt motiva credibilitatis, scilicet antiquitas Religionis nostræ, vera miracula directe in confirmationem fidei nostræ perpetrata, & modus mirabilis, quo Religio nostra fuit propagata, quibus addi possunt notæ characteristicæ supra adductæ.

Vigesimotertio. Informetur deinde in illis, quæ ad fidem nostram pertinent, & scitu sunt necessaria necessitate medii & præcepti, in quibus sufficienter instructus, disponatur ad suscipiendum baptismi Sacramentum cum supernaturali dolore de peccatis personalibus, si enim reus unius, pluriumve peccatorum mortalium, vel cum cordis affectu ad unicum ex commissis mortalibus, vel cum dolore tantùm naturali hoc Sacramentum susceperit, effectum ejusdem non consequitur. Imo si vel peccato tali delectari pergat, vel dolori merè naturali sciens acquiescat, novo peccato sacrilegii se polluit, cum in hac Dei providentia nullum peccatum personale remittatur, nisi per actum dolorosum fuerit retractatum.

CAPUT XXV.

QUOMODO DIRIGENDI SCRUPULOSI.

Primo. SCiendum, quod ſcrupulus ſit inanis apprehenſio peccati, ubi peccatum non eſt; inanis, quia levi prorſus aut etiam nullo nititur fundamento. Concipitur vel de præteritis vel de præſentibus, vel de futuris.

Secundo. Non ſtatim judicet Confeſſarius pœnitentem eſſe ſcrupuloſum, licet ſe frequentes animi turbati angores pati queratur, anxietas enim talis in quibuſdam peccatoribus oritur ex remorſu conſcientiæ, ideoque juſta eſt, & fundata ob vitam negligenter, ſi non impiè, peractam, vel ob ſacrilegam confeſſionem, ſeu occultato aliquo mortali, ſeu ex aliâ causâ. Judicium eorum, qui vanis phantaſmatibus deluſi hominum ſpiritualium volunt eſſe cenſores, conſcientiam ſalutis æternæ ſtudioſam & timorem Domini ſcrupulos vocat criſi erroneâ. Ut dignoſcatur, quinam verè ſint dicendi ſcrupuloſi, attendendum eſt ad ſequentia: ſiquis valde frequenter confiteatur & dubia inania proponat, acceptóque prudentis Confeſſarii responſo, aut ejus diſcreto Conſilio non acquieſcat, ſed in omni re evidentiam quærat, & quaquaverſum curſitet novi Conſilii cauſa in rebus etiam claris, ſi anxietates internas ridiculis motibus oculorum, capitis agitatione, geſtibus indecoris prodat, aut ſemper ad ſua dicta, & facta reflectens actionem, aut locutionem ſub initi-

initium apprehendat ut illicitam, & ideo abrumpat, modo ut licitam repetat; ſi nimis anxie ſemper confiteatur, in aliis cum quâdam fluctuatione hac illac animum divertat, in aliis hæſitet quaſi deliberans, an liceat pergere in actione ad ulteriora, an verò, etſi cauſa non appareat, ſubſiſtendum ſit, ut diſcutiatur, quomodo hactenus obligationi ſuæ in anteriori actionis parte ſatisfecerit.

Tertio. Tres potiſſimum ſcrupulorum cauſæ aſſignantur, in quas diligenter eſt inquirendum, Deus ſcilicet, ipſa hominis complexio, & Dæmon; Deus quidem, non quod falſas hujuſmodi apprehenſiones immittat, ſed quod juſtis de cauſis majorem luminis vigorem non concedat, ut homo per inquietantes ſcrupulos diſcat, quàm rectè moneat Apoſtolus : *ne innitaris prudentiæ tuæ.* Item cautiùs, ac magis ſollicitè pro peccatis præteritis ſatisfaciat, & à diſſoluto vivendi modo ſe retrahat. Complexio deinde hominis, quatenus proveniunt ex corporis, cerebri & ſanguinis temperie, cum ſcrupulorum materiam ſæpe ſubminiſtret humor melancholicus, faſtidioſa converſatio, aut ſolitudo. Dæmon denique, qui in hominis interitum maximè intentus, animas virtutum exercitia amantes ſub ſpecie majoris perfectionis ad actiones devotionales tempore, loco, modo incongruo inducere, & per inordinatum amorem proprium ſpretis ſalutaribus monitis ad eas continuandas animare, atque ita ſcrupulorum, ſimul & occultæ ſuperbiæ laqueis conſtringere allaborat, dum eas animas ad manifeſta peccata allicere non poteſt.

Quarto. Si anxietas proveniat ex recordatione dolorosa peccatorum anteriorum, quæ verè talia sunt, & verè patrata, & inde nascatur aversio à talibus actibus morumque mutatio, utilis est scrupulositas, sicut ajebat Job: *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parcis delinquenti*, & sicut petiit David: *Confige timore tuo carnes meas.* Ejusmodi scrupulositatem sollicitè caventis animæ, ne forsan concomitans vana gloria, superbia, tepor actiones pias inficiat, paulatim Deo miserente subsequitur jucunda serenitas mentis, & delectatio supernaturalis; & licet non subsequeretur, cum illa *pax*, & *gaudium* sint liberale donum Dei, minimè autem merces virtutibus promissa, tranquillè cum solidâ fiduciâ dici Deo poterit, & debebit: *fiat voluntas tua*, non hic *satiabor* ab ubertate tua, sed tunc, *cum apparuerit gloria tua.*

Quinto. Si non inveniatur certa causa præcedens, & nihilominus horror animum turbet, & constans animadvertatur anxietas, præsertim in auditione Missæ, communione, & lectio spiritualis non reficiat, imò etiam molesta sit, ex naturali complexione videtur esse turbationis origo, pergendum tunc erit fortiter, & fiduciali oratione ad Deum confugere oportebit dicendo: *Tu Domine usquequo?*

Sexto. An scrupuli à Dæmone excitentur, ex sequentibus dignosci poterit; siquis antè in servitio divino fervens, consideratâ Christi sententiâ: *multi vocati, pauci verò electi*, aut consideratâ severâ ultione divinæ justitiæ, aut Dei præ-

præſcientiâ territus ſenſim de mentis conſtantia dejiciatur ad languorem, & inclinetur ad deſperationem de ſalute obtinendâ, ſentiatque cum Caino, qui dixit: *major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear* quamvis ſemper peccata mortalia evitare ſtuduerit. Item ſiquis graviter & ſæpe ira contra domeſticos, alióſve excandeſcat, inſatiabili avaritiâ facultates augere quærat, ambitioſe per media illicita ſe extollere nitatur, minores autem imperfectiones cordis, oris, operum verbosè accuſet, imitetúrque *culicem excolantes, Camelum autem deglutientes.* Item ſiquis libenter ſe ipſe dicat magnum peccatorem, in Dei ſervitio valdè imperfectum, correptiones autem tum fraternas, tum paternas impatienter audiat, & malit rigidioris diſciplinæ zelator ipſi etiam Confeſſario videri, quàm eſſe.

Septimo. Confeſſarius ſi in pœnitente ſcrupulos & ſcrupulorum radicem petitâ à *Patre luminum* gratiâ diſcretionis ſpirituum ſe inveniſſe credat, benigne illum & ſuaviter inducat, ut cogitet, quàm periculoſum ſit in itinere ad æternitatem ſuopte judicio ſtare, quod ideo Deus conſtituerit judicium Sacramentale, ipſique Confeſſarii etiam omnibus titulis optimi quoad ſuas animas debeant ab aliis dirigi, ne Pāpa quidem excepto. Permittat, ut una alterave vice cum omnibus circumſtantiis etiam ſuperfluis, cumque omnibus occurrentibus dubiis etiam frivolis exponat ſtatum ſuum, quantumcunque longa fuerit verboſitas, patienter ſuſtineat, quo ſemel, iterumve facto, doceat, quomodo confiteri im-

imposterum debeat; ostendat miseriam hominis, qui credit se lethali morbo corporis affectum, & medicis obstinatè contradicit, de quorum scientiâ, optimoque erga se infirmum affectu certus est.

Octavo. Si pœnitens urgeat contra Confessarii consilium frequentem super quibusdam speciatim peccatis confessionis repetitionem, paternè dicat, quod adhuc defectum speratæ docilitatis animadvertat, quanquam non possit non persuasum habere, quod Confessarius eum neque fallere neque perfidâ Sacramenti administratione perire ipsemet velit. Ostendat, quod, si pœnitens verè cupiat fugere peccatum, etiam tale temerarium judicium de proprio Confessario fugere teneatur. Dicere etiam poterit, si Confessarium domesticum haberet, diu noctuque paratum ad centies, & ultra auscultandum confessiones, & in nullo puncto contradicentem, & toties quoties repetentem: *absolvo te:* quid spiritualis commodi per talem assentatorem Dei & Ecclesiæ judicio damnandum sibi putet esse procurandum?

Nono. Quisquis valdè angitur considerato periculo æternæ damnationis, & animadvertit, se per cogitationes de obligatione curandi salutem animæ frequentissimas turbari, & impediri ne officiis sui statûs fungatur, sicut oportet, e. g. in curis domesticis, rusticatione, opificio &c. eligat sibi Confessarium pium, & doctum cum proposito, quod illi in omnibus salutem con-

cer-

cernentibus præſtare velit obedientiam, ſi autem illam facultatem eligendi non habet vel ob defectum plurium Confeſſariorum in eo loco, aut quia Regularis eſt, accommodet ſe divinæ providentiæ, & tali miniſtro, quem Deus aſſignat, ſe obedienter ſubjiciat, ſicut Chriſtus dixit: *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Occaſio extraordinario confitendi dabitur, aut extra confeſſionem petendi opportunum conſilium. Fervidâ igitur oratione gratia Spiritûs Sancti & donum intellectus petatur, ut ſecundùm Regulas prudentiæ per obedientiam Deo in perſonâ Confeſſarii, qui per illum, & pro illo, in hoc divino tribunali judicat, humiliter exhibendam ſuperatis noxiis illis anxietatibus dies ſuos in pace diſponat, hoc ſi fecerit, non deerit auxilium Domini, à quo recta conſilia, & juſta ſunt opera.

Decimo. Proponat ſibi, reflectendo ad miſerias, quas paſſus eſt ex ſcrupulis anterioribus, quæ & quanta ſint mala, quæ ex inani iſto metu naſcuntur; & quidem ſi ex naturali proveniunt complexione ſcrupuli, hi cor conſtringunt ob continuos angores, ſanguinem ſæpe corrumpunt, Spiritus vitales exhauriunt, & interdum hominem periculo amentiæ exponunt; inhabilem faciunt ad opera, quæ exigit ſtatus, in quo Dei providentia illum poſuit, ſive Eccleſiaſticus ſit, ſive Sæcularis aut Religioſus, maritus, pater herus, aut alius ad certa munia aſſumptus. Non raro etiam debilitant animi fortitudinem, obedientiam, orationem, & ſpem plane evertunt, adeo,

ut deſperationis vitium inducant. Magis nocent, ſi à Dæmone ortum habeant, quia directe in ruinam ſpiritualem ejuſmodi anxietates excitantur; ut homo cupiditatibus ſuis indulgens in ſervitutem Diaboli perducatur.

Undecimo. Converſatio cum ſcrupulosè anxiis eſt conſtanter evitanda; cæcus enim cæco ſemitam oſtendere haud poterit, ac proinde regula prudenter agendi ſint tales, in quorum actionibus, & vivendi normâ communi hominum judicio apparet ſerenitas mentis, tranquilla & bene ordinata negotiorum tractatio, & divini ſervitii obſervantia providè regulata, hos imitari intendat ſcrupuloſus, tanquam ad eundem finem natus, & renatus.

Duodecimo. Si ex conjecturis moraliter certum videatur, quod radix ſcrupulorum ſit naturalis hominis complexio, adhibenda ſunt media naturalia, expediet conſulere medicos, cum *propter neceſſitatem creaverit illos Dominus, & honorari juſſerit* Eccli 38. interea dum per medicinam convenientem corporis & mentis ægritudo curatur, medicus ſpiritualis ſalubrem animæ languenti medelam adferre conetur,

Decimo tertio. Pœnitens, ſi diu in conſuetudine peccandi vixerit & ſalutari pœnitentiâ motus à viâ pravâ ad ſemitam ſalutis tranſiens per delictorum memoriam variis ſeſe anxietatibus obrui Confeſſario queratur, non ſtatim docendus eſt illas pro vanis phantaſmatibus futilium ſcrupulorum reputare, & ſpernere, ſed ad majorem

jorem

jorem peccati horrorem ingerendum, & mentem ad dolorem ſupernaturalem eliciendum efficacius incitandam jubeatur inſtituere confeſſionem generalem, quæ ut ordinatiùs fiat, pro circumſtantiis perſonæ, & temporis in eo ſtatu transacti, & occaſionum, inſtruatur ſuper modo ad integritatem etiam materialem congruo, nempe monendo, ut nihil ex verecundiâ omittat, & ut verè intendat omnes morbos Spirituales pandere adinſtar corporaliter ægrotantis medico ſincerè pandentis quidquid noverit eſſe medico pandendum; in confeſſione huic generali taliter inſtitutæ proximâ, aut duabus, tribúſve ſi pœnitens quædam ſuper circumſtantiis non tantùm notabiliter aggravantibus, ſed & quæ ſpeciem mutant, aut ſuper numero proferat priùs non dicta, quia non inciderant, benignè Confeſſarius audiat, compertóque, quod non ex verecundiâ, ſed ex merâ oblivione omiſerit, moneat, ut impoſterum ab indagine ulteriori abſtineat. Ratio Theologica hujus Conſilii eſt, quia univerſalitas doloris, animi ad nihil omittendum parati diſpoſitio, adhibitúſque in diſcuſſione conatus faciunt de integritate formali judicium ſufficienter certum, & longa ſubſequentis indaginis continuatio phantaſiam opplet repræſentationibus periculoſis, & impedit ſperatam progreſſionem in ſemitis mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſicut itinerans continuò reſpiciens retro impedit ſe, quominus progrediatur, faciliúsque relabitur, ſicut antè ceciderat.

Decimo quarto. Si pœnitens nimium angatur circa præparationem ad confeſſionem, monendus

dus eſt, non requiri niſi diligentiam ordinariam, & præparationem, qualem in aliquo negotio œconomico notabili prudens paterfamilias adhibere ſolet, nec ob dubium de ſufficientiâ examinis repetendæ ſunt confeſſiones, cum eas validas fecerit bona intentio nihil eorum occultandi, quæ ad perfectam cum Deo reconciliationem dicenda occurrebant, & dolor univerſalis, etiam abſolutio legitimè ſecuta judicium Sacramentale compleverit.

Decimo quinto. Cum ſcrupuloſi alii generaliter circa quamlibet materiam, alii circa particularem inquietentur (ſicut obſervatur in corporaliter infirmis, aliis in toto, aliis in aliqua tantùm parte corporis) frequens morbus ſcrupuloſitatis eſt circa fidem. Confeſſarius exploret afferentes dubitationem, negationem, an lectione, vel colloquiis cauſaverint periculum, ſi ita, tractentur tanquam rei, ſi verò non, tanquam ſcrupuloſi, & hi moneantur, ut non luctentur proteſtationibus, & laborioſis contradictionibus mentalibus, ſed cogitationes illas ſpernant inſtar viri prudentis, qui catelli innoxios latratus citius ceſſare facit prætereundo, quàm adoleſcens reſiſtendo. Illi autem moneantur, ut abſtineant à lectione controverſiarum, etiam S. Bibliorum, ſi ex diſputandi pruritu ea lectitârint. Univerſim expedit tentatis ſuper fide Theologiam non callentibus cogitare: credo, quod crediderunt ſimplex & rectus corde Franciſcus, Thereſia, aliæque Sanctæ animæ nunc Deum videntes.

Decimo

Decimo ſexto. Fiduciam erga Deum haud raro labefactat nimia anxietas de ſalute obtinendâ, dum frequenter cogitatur prædeſtinatio, reprobatio, finalis perſeverantiæ incertitudo, quorundam poſt multas virtutes lapſus, & impœnitentia in fine vitæ; verùm ne talis anxietas in deſperationem adducat, proponatur, debere quidem nos meditari *terribilia judicia Dei ſuper filios hominum*, ut vana præſumptio caveatur, ſed eas cogitationes temperandas meditatione divinæ erga nos bonitatis, quâ nos jubet ſperare per Chriſtum, quod ſola bona opera noſtra nequeunt impetrare, cum fiducia cogitetur nos bonum Dominum habere, & faciamus cum filiali timore, quod ſuadet S. Petrus Epiſt. 2. cap. 1. *Quapropter fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.*

Decimo ſeptimo. Siquis bonæ mentis, & probatæ virtutis accuſet ſe reum blaſphemarum cogitationum contra Deum e. g. quia probos non liberat à morbo, paupertate, improbos facit opibus abundare, doceatur nefas eſſe ſcrutari judicia Dei, præmium virtutis non in terrâ, ſed in cœlo per fidem aſſignari. Cum in ſcrupuloſis propter vehementiam phantaſiæ, & intellectûs perturbationem impediatur libertas, benignè jubeatur factâ ſuper ſtolidis phantaſmatibus reflexione ipſemet judicare, quod talem Deum, tales Sanctos ſana ratio proponere homini mentis compoti non poſſit, qualiter à turbatâ phantaſiâ proponuntur.

Decimo

Decimo octavo. Ad evitanda judicia temeraria reflectatur ad axioma juris : nemo præsumitur malus, donec probetur. Curiositatis de aliorum vitâ effectus est, suspicari, judicare temerè, & quod pejus est, suspicionem, judicium suum aliis manifestare. Responsum Christi ad Petrum : *quid ad te ? tu me sequere*, cautè attendatur. In contractibus e. g. censu, emptione, conductione famuli, locatione domûs &c. ad removendum damni periculum congruam, quam alii prudenter adhibent, cautelam licet adhibere. Etiam interroganti licet indicare periculum, quod rationabiliter ex anteriori perfidiâ, fraude, pravitate metuitur. Qui in itinere, tabernâ, hospitio diffidit ignotis, ut sibi caveat, culpari non debet quasi proximo iniquus, judicando, suspicando. Præstat universim actiones proximi dijudicandas relinquere Deo, cordium inspectori, cum sæpe excuset intentio, defectus sufficientis cognitionis, deliberationis, libertatis.

Decimo nono. Multos angit horarum canonicarum, ad quas obligantur, recitatio; repetunt non semel, etsi à repetitione, quæ anxietates auget, à Confessario jubeantur abstinere, & tempus necessariis functionibus, aut utiliori occupationi impendere; suppositâ reflexione ad distractionem concipiatur propositum subsequentes partes magis religiosè persolvendi, cum dolore de anteriori irreligiositate, & levitate mentis minùs ad divina intentæ, quàm ad mundana negotia, & magis compositæ in salutatione hominum, quàm in colloquio cum Deo, *Eloquia Domini*, per Ecclesiam pro penso quotidiano ministris in-

juncta

juncta *ſuper mel & favum* ſapiunt timenti Dominum: frigido autem cordi ſunt inſipida, hinc diſtractio frequens, & *nauſea* quaſi *ſuper cibo leviſſimo*; dum radix non tollitur, & pax interna non quæritur, moleſta ſubit hæc cogitatio: *non ſatisfeci*, repetendo, & Sacramentaliter confitendo ſolamen quæritur, & medela; ſed fruſtra, niſi Confeſſario humiliter pareatur; ille verò non poterit non docere, quod & abſtinendum ſit à repetitione, & acquieſcendum ſit tempori, quod pro recitatione Officii ſufficit ſacerdotibus Deum timentibus.

Vigeſimo. Nec infrequens eſt ſcrupuloſitatis morbus, qui circa Miſſæ celebrationem occupat Sacerdotes quoſdam, alios intentio inquietat, alios attentio præſertim ad conſecrationem. Docent Theologi, ad Sacramentum aliquod conficiendum ſufficere intentionem virtualem, hæc non deeſt Sacerdoti, dum orando, & ſe veſtibus Sacris induendo, curandoque ad Miſſæ Sacrificium neceſſaria præparatur, ut autem omnem timorem excludat, quoties ſancta Myſteria peracturus eſt, piè recitet conſuetam illam & notam, S. Indulgentiæ Pontificia conceſſione efficaciùs commendatam precationem: *ego volo celebrare &c.*

Vigeſimo primo. Aliqui omnia, quæ legunt in Miſſa, alta voce proferunt, & ſe ipſos, audientesque perturbant SS. Ritibus, ututnolint, facto ipſo contemptis, prævaricationi prætexunt neceſſitatem vitandi diſtractionem; ſub Canone, & maximè in conſecratione præcipit Eccleſia, ut verba ſancta dicantur ſubmiſſa voce; at hi per infeliciſſi-

mum

mum ſingularitatis vitium oculis, capite, aliis etiam aliquando membris cooperantibus protrudunt, repetunt voces quâdam interpolatione divulſas, *hoc* *eſt* *enim* os, naſum &c. calici ſancto inſerunt, halitum vehementem voci adjungunt, his, qui ad juſtam adorationem ſe totos componunt, tum indignantibus, tum ridentibus, & certè omnibus hâc intolerabili affectatione diſtractis, & alia, quàm quae tunc cogitanda ſunt, cum impatientiâ, aut commiſeratione cogitantibus.

Vigeſimo ſecundo. Hos Confeſſarius abſque humano reſpectu arguat opportunè, importunè, moneatque, ut ſi Deum, ſi proximos, qui SS. Myſteriis aſſiſtunt, amant, ſicut debent, Eccleſiae mandato obediant, SS. Ritus, ſi neſciunt, addiſcant non ſpeculativè tantùm, ut ajunt, ſed & practicè.

Vigeſimo tertio. Siquis tempore conſecrationis diſtractus advertat poſtea diſtractionem, & dubitet, vel an in formâ proferendâ erraverit, vel omiſerit totam formam, non ideo licitum eſt illam repetere, ſed dum aliàs ſolitus eſt verba iſta integre pronuntiare, ex communiter contingentibus formet judicium, hâc particulari actione omnia debite fuiſſe peracta, quod autem ſcrupuloſi in hiſce ſemper dubitent & angantur, inde provenit, quia tenaces praeoccupati judicii proprii vel nolunt, vel non poſſunt, quae ſpeculativè didicerunt, praxi applicare.

Vigeſimo quarto. Ne morbus ſcrupuloſitatis invaleſcat, fiátque immedicabilis, obſerventur ſequentia: *primo.* Tali morbo laborantibus ſufficit,

quod

quod velint adhibere diligentiam, & quod re-ipsâ conati ſint eam adhibere; etſi dicant (ſicut ſolent) quod ille conatus, ſeu diligentia nequidem fuerit mediocris. 2*dò*. Dum in dubio conſilium non ſuppetit, quia urgentibus ad operationem circumſtantiis, propè non eſt aliquis, quem conſulat, & evidenter non apparet prohibitio certa, ſcrupuloſus doceatur uti ſuâ libertate, & benigniorem partem amplecti e. g. in dubio, an in Dominicâ liceat ambulare, ſcribere epiſtolam, eripere frumenta ſubitæ tempeſtati, ambulet, ſcribat, frumenta colligat. 3*tiò*. Scrupuloſus doceatur illa tantùm in confeſſione manifeſtare, quæ ſunt peccata certa; certitudo cognitionis & deliberationis, ſi non appareat Confeſſario attentis circumſtantiis perſonæ valde abhorrentis libidinem, hæreſin, vindictam &c. jubeat tacere, cum valde ſcrupuloſus etiam ad jurandum ſe paratum offerret, ſi Confeſſarius vellet per juramentum explorare, an actus fuerit plenè deliberatus. 4*tò*. Ex præteritis confeſſionibus repetitio rariſſimè permittatur, ne anxietatis materia denuo per phantaſiam repræſentetur; confeſſiones antecedentes ritè à talibus non fuiſſe peractas non præſumitur, cum nihil ad peccatum imputetur, niſi tunc, dum fit actio, apprehendat, aut ſaltem poſſit, & debeat tunc apprehendere operans, quod ea ſit contra legem, & accedat voluntatis conſenſus. Conſcientia actum conſequens, & eundem ut præteritum in memoriam reducens non facit illum, qui olim non erat peccaminoſus in pueritiâ, jam fieri peccaminoſum. Si ſupponatur tunc fuiſſe peccaminoſum, dum fiebat, tantùm

potest novum peccatum causare ratihabitio, gaudium, gloriatio scandalosa. Siquæ delicta juventutis, seu per seductionem, seu per ignorantiam commissa redeant in memoriam, cum Davide oretur: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Cogitetur Dei misericordia, quæ animam servavit, ne sciens volens talia patraret; inde excitetur ad humilitatem. Si autem ex his anxiè inferat scrupulosus se nunc debere partem tutiorem sequi, sibi respondeat: satis tutus in hac re sum, si Confessario obediam, paratissimè confiteri vellem, siquid confitendum restaret, quod vel malitiam sufficienter non apprehenderim, vel omnia tum temporis non sim confessus.

Vigesimo quinto. Si pœnitens, dictis quibusdam defectibus indeliberatis nullum peccatum certum proferat, Confessarius pro suâ discretione vel jubeat peccatum certum ex præteritis confessionibus aperire, vel sine absolutione dimittat, quod ei non tenetur indicare, ne forsan superbiat, sed pia precatio quædam injungenda, ut gratiam à peccatis deinceps præservantem obtineat.

Vigesimo sexto. Si pœnitens antea diu luxuriosus, ebriosus, usurarius dicat se invitum sæpe affligi tentationibus ad peccata, quibus assueverat, doceatur sibi cavere ab assensu, & humiliter cogitare, quòd in pœnam peccatorum, simul & ad humiliationem Deus innoxias ejusmodi vexationes permittat, quod pugnandum sit, quia

mili-

militia eſt vita hominis ſuper terram, ipſique S. Paulo dederit *angelum ſathanæ, qui eum colaphizet*, 2. Cor. 12. Alia hic obſervanda per Dei gratiam miniſtris bonæ voluntatis per experientiam, & prudentiam ſuggerentur.

CAPUT XXVI.

DE RECIDIVIS ET IN OCCASIONE PECCANDI CONSTITUTIS.

SIcut medicis corporalibus, ita Confeſſariis non leve negotium facit recidiva, ideo huic materiæ eò major adhibenda eſt diligentia, quo majus eſt periculum, ne nimia abſolvendi facilitas cum pœnitente perire faciat Confeſſarium. Rituale Romanum authoritate Pauli V. editum in conſtitutione de Sacramento pœnitentiæ Confeſſarium ſerio admonet: *videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda, vel neganda ſit abſolutio, ne abſolvat eos, qui talis beneficii incapaces. Tales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris. aut proximam occaſionem peccandi deſerere, aut alio modo peccata derelinquere & vitam in melius emendare nolunt.* Deploranda non ſatis eſt eorum methodus, qui, ut ait Card. Bellarminus, quaſi non eſſent Domino rationem reddituri, ſumma facilitate omnibus manum imponunt, ſuà imperitiâ & ſuperbiâ corrumpunt populos, & illis veræ pœnitentiæ viam præcludunt. Ut autem Confeſſarius ſciat, quam viam in præſenti materia ingredi tutò poſſit, modum ſecurum relapſos dirigendi & peccatorum occaſionem præcludendi ſubminiſtrabunt

bunt duo Paragraphi, primus erit de pœnitente versante in consuetudine, alter de pœnitente existente in occasione peccandi.

§. *Primus.*

De RECIDIVIS.

Primo. Duplex inter occasionem & consuetudinem peccandi est differentia. *Prima:* occasio præter periculum formale peccandi importat aliquam circumstantiam extrinsecam ad peccatum trahentem, non consuetudo; sola enim fragilitas intrinseca peccatoris generare potest e. g. consuetudinem mentiendi, jurandi, blasphemandi &c. *Secunda:* Consuetudo nascitur ex frequentiâ relapsuum, sed ut sit occasio etiam proxima, opus non est frequentiam talem supponere. Quis enim neget, juvenem fragilem & ad venerea proclivem versari in occasione proxima, dum primitus accedit personam, vel domum suspectam supposito, quod absint circumstantiæ excusantes. Peccandi consuetudinem pœnitens interrogatus tenetur Confessario ingenuè manifestare, contraria propositio est inter damnatas ab Innoc. XI.

Secundo. Consuetudinarius à recidivo distinguitur per hoc, quod istum faciat frequens reincidentia in eadem delicta, cum ex frequentatis actibus oriatur habitus seu consuetudo; hunc vero unica tantùm post absolutionem semel obtentam, ùt ex etymologia sat notum est.

Tertio. Sanam doctrinam Theologorum suadentium frequentem confessionem tanquam medium

dium efficacissimum peccata evitandi & vitam emendandi, pessumdare nititur nimius rigor eorum, qui differunt absolutionem, donec post longam probationem de pœnitentis vera conversione constet, cum enim omnis vere pœnitens & dispositus non tantum sit capax absolutionis, sed etiam facta dolorosa confessione jus ad eandem habeat, econtrario non verum habens emendationis propositum sine absolutione sit dimittendus, cumque etiam recidivi verum possint habere dolorem, & efficax emendationis propositum, relapsi in peccata mortalia ejusdem vel diversæ speciei non semper censendi sunt carere dolore & proposito requisito, multo minus illi, qui semel tantùm sunt relapsi, adeoque illis sæpius absolutionis beneficium conferri valet.

Quarto. Frequens relapsus etiam in eadem peccata non est semper signum evidens defuisse verum dolorem, & propositum in prioribus confessionibus, quia pœnitens, dum actu confitetur, potest habere seriam emendationis voluntatem sine omni affectu ad peccatum, licet postea vel ex fragilitate, vel etiam ex malitia in eadem delicta reincidat, sic confitens peccata venialia, & tamen moraliter certus se in eadem frequenter esse relapsurum. non ideo semper caret dolore & proposito requisito.

Quinto. Fundatam tamen frequens reincidentia in eadem peccata gravia sæpe facit suspicionem, defuisse sincerum dolorem, ac firmum propositum in pœnitente, propter quod vel negari, vel saltem differri absolutio debeat, licet pœni-

tens ore testetur, se dolere de peccatis, ac proponere vitae emendationem, ideo meruit damnari ab Innoc. XI. haec 60ma : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.*

Sexto. Prudenter negatur absolutio, si pœnitens saepius fidem frangens praescripta media non adhibuerit; si deprehendatur mox à confessione se priori occasioni peccati mortalis ultro ingessisse; aut ordinariae tentationi vix leviter restitisse, cùm tunc, nisi alia accesserit circumstantia, de sufficienti dispositione merito dubitetur, qui enim efficaciter detestatur lapsum, firmitérque proponit se non facturum esse illud, quod vitare potest, tam subito non mutat propositum per turpem reincidentiam, sed majori cum diligentiâ applicat remedia necessaria ad cavendum relapsum.

Septimo. Confessarius, si dubitet, an in pœnitente mala sit consuetudo, diligenter absque vitioso respectu humano juxta conscientiae suae dictamen inquirat, ut intelligat, quid consilii dandum sit, & quomodo mederi debeat. Causa dubitandi apparere potest in sequentibus: *Primo.* Si pœnitentes dediti sint ebrietati, quod vitium ebriosis quandam quasi necessitatem, sed minimè coram Deo excusantem inducit. *Secundo:* Si faciles sint ad jurandum, etiam dum res est minus certa, unde frequens perjurium, & licèt caveretur, ne desit *veritas*, & *justitia*, deerit *judicium.* Item si assueverint maledictioni, imprecationibus.

bus. *Tertio*: Si debita non ſolvant; male acquiſita non reſtituant; famam læſam non reparent; pia legata tradere ex negligentiâ differant ſeu hæredes, ſeu executores teſtamentarii. Si injurias illatas non remittant, & proximum odio ſe habere oſtendant per externa indicia, quamvis dicant pro more: nihil habeo contra illum. Si turpe vitium luxuriæ prodat oris ſpurcities &c. Si promiſſa & vota non adimpleant. *Denique*. Si culpabiliter ignorent illą, quæ ſub obligatione gravi ſcire tenentur.

Octavò. Confeſſarius poteſt aliquot vicibus abſolvere conſuetudinarium ſuppoſito indicio veri doloris, & ſinceri propoſiti, licet ipſemet fateatur, quod in illud uſque tempus nulla emendatio præceſſerit, ſane, ſi generaliter antecedere deberet emendatio abſolutionem, Sacramentum hoc etiam in remedium ad futura peccata præcavenda inſtitutum non prodeſſet multis, quibus jam prodeſt.

Nono. Inveſtiganda eſt radix frequentis reincidentiæ, an per ſcrupuloſitatem ſit exiſtimata, an realis ex intrinſeca quadam fragilitate; pœnitens ſcrupuloſus dirigatur, ut ſuprà. Re ipſa reus jubeatur Dei omnia interiora videntis præſentiam cogitare in tempore tentationis, & facere, quæ ſpeciatim præſcribuntur cum monito, niſi fecerit, impoſterum abſolvi non poſſe; Si proveniat frequentia illa ex occaſione aliqua extrinſeca, adtendatur ad regulam §. ſequenti præſcribendam.

Decimo. Corripienda eſt aliquorum Confeſſariorum negligentia, qui orationem vocalem paucarum precum conſuetudinariis injungunt ſine aliis mediis congruis ad mali extirpationem, ovis errans non modo non reducitur, ſed promovetur ejus iter ad interitum.

Undecimo. Certum eſt differendam eſſe abſolutionem, ſi pœnitens poſt minas repetitas non adhibeat remedia pravæ conſuetudinis extirpandæ, quamvis conſuetam formulam doloris, & propoſiti pro more denuo recitet, quia centies repetet, & ſacrilegia toties multiplicabit inſordeſcens interim pravitati. Addatur, quod ſi forſan alium Confeſſarium adire volet, ſub gravi reatu ſacrilegii teneatur eidem manifeſtare, quàm diu hæſerit in malâ conſuetudine, & ſæpe interea monitus omiſerit amplecti media emendationis.

Duodecimo. Signa concipiendi ſpem futuræ emendationis communiter hæc ſunt: ſi conſuetudinarius remedia præſcripta adhibuerit, & numerus interim ſit multum imminutus relapſuum per mortificationes, fugam occaſionum, item ſi ſpecialiora det ſigna doloris, aut Confeſſarium roget, ut efficaciora præſcribat media, dum priora, etſi adhibita, effectu caruerunt.

Decimo tertio. Non omnia media omnibus prodeſſe experientia docet, ſicut nec omnis medicina cuilibet ægroto applicata prodeſt, quare Confeſſarius ad normam medici prudentis obſervare debet naturam & inclinationem pœnitentis, inveſtigare radices & occaſiones continui relap-

ſus,

ſus, ut mediis perſonæ accommodatis faciliùs eum ad veram emendationem inducat, ante omnia ſinceram ſemper benevolentiam & conſtantem amorem oſtendat Confeſſarius, erigatque pœnitentis animum, nec ullo ſigno prodat deſperationem de emendatione, ſed potius hujus futuræ ſpem faciat oſtendendo, omnia poſſibilia eſſe per gratiam Dei, qui in hiſce circumſtantiis eſt invocandus humili, ac fiduciali oratione, ſed non ſine mortificatione corporis occultâ.

Decimo quarto. Proponi etiam expedit extrema hominis, mortem, futurum judicium, infernum & cæleſtem gloriam & indicari periculum æternæ damnationis, cui peccator ſe ſponte exponit incertus, quamdiu vita hæc ſit duratura, cogitari debebit, quod Deus indubitabile jus habeat unumquemque hominem ſtatim poſt patratum peccatum mortale æterna damnatione puniendi, ſive illud peccatum fuerit primum, ſive decimum, ſive centeſimum, & dum aliquos peccati unius vel multorum reos *tanquam vaſa iræ in multâ patientiâ ſuſtinet*, alium poſt primum peccatum damnat, juſtum ſemper & ſanctum ejus eſſe judicium, ideo ſemper timendum eſſe peccatum.

Decimo quinto. Cooperante gratia Dei humiliter petenda mirè efficax eſt ad petram duri cordis molliendam ſermo vivus de paſſione Chriſti adaptatus ſententiis S. Pauli, qui dixit impios *rurſum crucifigere*, *oſtentui habere filium Dei*, *ſanguinem ejus pollutum ducere*, *conculcare*; nempe hoc facit peccator, quoties mortaliter peccat, cum ſciens volens fructum divinæ paſſionis impediat.

Oſtendatur quàm ingratus ſit peccator delictis inſordeſcens tanto ſibi præſtito beneficio præter alia creationis & conſervationis, etiam ſanctificationis per baptiſmum aliaque Sacramenta, dum prodigus propriæ ſalutis unicam animam ſuam ſine dubio, niſi reſipiſcat, facit æternum damnari.

Decimo ſexto. Si terrores conſcientiæ ad puſillanimitatem deturbent, & pœnitens aut cum Cain *majorem* dicat *ſuam iniquitatem*, *quàm ut veniam mereatur*, aut de pravæ ſuæ conſuetudinis emendatione deſperet, admonitione charitativâ benignè doceatur, quod docuit S. Joannes 1. Joan. 2. *Fratres*, *ſiquis peccaverit*, *advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum* : *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, *non pro noſtris autem tantùm*, *ſed etiam totius mundi*, & quod conſuetudo quælibet ut ut inveterata eradicari poſſit, ſi attentè oretur : *ne nos inducas in tentationem*, *ſed libera nos à malo*. Et cogitetur, quod docuit S. Paulus Corinthios : *Deus non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, *ſed dabit cum tentatione proventum* id eſt meriti commodum.

Decimo ſeptimo. Communiter ſibi perſuadeat Confeſſarius, magis utile eſſe, ſi non objurgationibus intellectum pœnitentis obtundat, ſed ſolidis rationibus cum manſuetudine, gravitate & diſcretione propoſitis inſtruat, eo in obſequium legis divinæ captivato facilè attrahet voluntatem, & flectet ad meliora, acerbæ objurgationes vix quenquam niſi cervicoſum ruſticum facient flexilem.

Decimo octavo. Raro abſolutio eſt differenda, ubi conſuetudinarius ſatis diſpoſitus cenſetur, fieri tamen id poterit, ſi prudenter judicet Confeſſarius dilationem eſſe pœnitenti utilem, ut magis emendetur, negationem enim abſolutionis ſæpe à relapſu præcavere inde conſtat, quod pœnitentes poſt ſuſpenſam abſolutionem magis cauti reddantur ob memoriam beneficii negati, ideoque poſtea cum majori diſpoſitione accedant; ne tamen per hoc intricentur perplexitatibus, manſuetè proponatur, ſolam pœnitentis utilitatem intendi præter Sacramenti reverentiam, quâ Confeſſarii obligantur ad *ſolvendum*, aut *ligandum* juxta dictamen propriæ conſcientiæ. Ne autem præfeſtinata judicetur denegatio, conſuetudinarium paternè præmoneat abſolutionem denegatum iri, niſi per notabilem diminutionem numeri ſcandaloſorum actuum e. g. libidinis, ebrietatis oſtenſus fuerit conatus emendationis; poſtquam ſuper hac obligatione fuit informatus, ad prudentiam Confeſſarii pertinet judicare ex circumſtantiis, quoties poſſit conſuetudinarius abſolvi, antequam ad denegationem abſolutionis procedatur. Dixi: ſcandaloſorum actuum, nam quoad frequentiam merè internarum cogitationum longiore patientiâ opus eſt.

Decimo nono. Ne tamen propter dilationem abſolutionis pœnitens alibi in damnum animæ ſuæ ſubticitâ conſuetudine, abſolutionem quærat, benignè moneatur, ut non taceat conſuetudinis diuturnitatem, & Deum oret, ut veram converſionem, interveniente dolore & propoſito efficaci concedat, & perſeverantiam.

Vige-

Vigesimo. Frequens est morbus luxuriæ, ac difficillimæ curationis ut ait *Toletus*, quia vulnerata per peccatum originale natura nostra ad malum inclinat, nulla tamen est peccandi necessitas, cum nunquam desit medicina à Christo pio Samaritano præparata his, qui in *colluctatione carnis adversùs Spiritum* vincere cupiunt. Dici poterit consuetudinario tali: *subtus te erit appetitus, & tu dominaberis illius*, si sæpe confitearis, & teipsum dijudicando terribile Dei judicium antevertas; cave autem, ne antidoto hoc optimo sacrilegè abutaris.

Vigesimo primo. Confessarius dum audit accusantem se de peccati carnalis opere, aut sermone lascivo deliberatè patrati licet prima vice, ostendat illo turpiter fœdari animam, quæ Dei imago est; & rationem viliter subjici brutalibus desideriis, dum fræno rationis coërceri, ac deprimi debebant. Poterit etiam, dum opportunum est, ostendere damna, quæ inde sequi solent, temporalia, qualia sunt confusio, & paupertas; majora verò, quæ æterna sunt.

Vigesimo secundo. Talis consuetudinarius doceatur, hoc genus dæmoniorum non ejici, nisi in oratione & jejunio, quare à præsenti confessione usque ad sequentem in dies singulos certæ preces sunt injungendæ, quas persolvat flexis genibus elicito priùs dolore; jejunium præcipiatur, ut carnis petulantia compescatur, his adjungi possunt corporis afflictiones, v. g. usus cilicii, aut flagelli.

Vige-

Vigesimo tertio. Evitandi maximè sunt homines isti, qui jocis seu apertè obscœnis, seu æquivocis oblectare alios conantur; Apostolus monet Epheseos: *Omnis immunditia nec nominetur in vobis sicut decet Sanctos* (id est per Baptismum sanctificatos) *aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Hos dicit ab hæreditate Regni Christi excludendos & infert: *nolite ergo fieri participes eorum.* Etiam fugienda est frequens otiosa conversatio cum diverso sexu, quia potius in hoc genere peccati prodest fuga quam pugna. Quoties autem honestæ cum alio sexu conversationis præbetur occasio, ad debitam custodiam linguæ & sensuum pro fræno sit sæpius repetita occultè cogitatio de præsentiâ Dei; sic juxta monitum S. Jacobi *Ostendet sapiens, & disciplinatus ex bonâ conversatione sapientiam*

Vigesimo quarto. Sentiens carnis tentationes statim à principio resistat, sed vultu minimè prodat luctam interiorem; cogitationes ad objectum aliquod indifferens statim divertere sæpe expedit; si nihilominus tentatio perseveret, ad Deum affectus in corde excitari poterit: e.g. Christus Dominus & Salvator meus patiens & in cruce moriens mihi cœlum aperuit, an ego illud mihi per carnis oblectamentum claudam?

Vigesimo quinto. Etiam sunt inter Deum timentes, qui per noctium phantasmata vexantur impuris somniis, & nocturnas patiuntur pollutiones, sed castarum mentium est, providere, ne, dum vigilantibus redit facultas liberè volendi,

sequatur

ſequatur actio voluntatis de paſſione præterita gaudentis; etiam opus eſt ad anteriorem diſpoſitionem mentis reflectere; ſi ex delictis priùs commiſſis, ſed chriſtiànè expiatis remanens merè habitualis inclinatio horum pathematum origo eſt, eò ſe ferventiùs excitet ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ, ut perfectior paulatim ſit de rebelli carne victoria, & humili recordatione divinæ miſerationis roboretur Spiritus, ablutúsque dicat: *amplius lava me.* Siquid dubii ſuſcitatur, an cauſam proximam dederit, aut quodammodo delectatus poſtea fuerit, prudentis Confeſſarii audiatur conſilium.

Vigeſimo ſexto. Confeſſarius operam non perdit, nec mercede carebit, etiamſi viderit pœnitentem poſt aliquod tempus notabiliter non emendari, inſiſtat operi, quod cœpit; rigare non deſinat, arbores in malo radicatæ non uno aut altero ictu cadunt, ſed ſecuris ſæpius ad radicem ponenda. Si Confeſſarius partes ſuas explere conetur, & pœnitens promptus & obediens inveniatur, Deus dabit incrementum. Nec ideo pœnitentem inducat ad vovendam caſtitatem etiam ad tempus, ſic enim in iſtis circumſtantiis novum peccati diſtincti laqueum poneret, ſunt, quibus honeſtum matrimonium ſuadere expedit ad incontinentiæ remedium, nempe *melius eſt nubere, quam uri.*

Vigeſimo ſeptimo. Illos, qui ſæpius in eadem peccata venialia relabuntur, abſolvi poſſe etiam aliquoties in hebdomada confitentes, praxis eſt uſu piorum probata ſed videndum, num de-

licta ista ex mera fragilitate humana pœnitens, aut minùs deliberatè committere consueverit absque ullâ diligentiâ proficiendi in servitio Dei, & confessio, tantùm frequentetur ad frequentandam S. Communionem, tunc dissuadenda communionis frequentia simul & confessionis, quia fiunt sine fructu, & consequenter non sine novis peccatis ob defectum veri doloris, & propositi. Poterit etiam aliquando sine absolutione dimitti, dum non profertur materia sufficiens, neque necesse erit hoc indicare, si tentatio superbiæ metuatur. Ad excitandum dolorem sufficientem aliquando expedit urgere, ut aliquod peccatum certum ex præteritis adjiciatur. Aliquando expedit docere pœnitentem, quod quidem peccata venialia Sacramentaliter confiteri necesse non sit, dum autem aliquis ea sola liberè confitetur sine vero dolore & proposito, & substantiale requisitum totaliter deficere facit, peccet mortaliter, quia sciens volens frustratur effectum Sacramenti.

§. *Secundus.*

DE IIS, QUI IN OCCASIONE PECCANDI VERSANTUR.

Primo. Confessarius, si advertat pœnitentem esse in occasione peccandi, sedulo inquirere tenetur, an occasio sit proxima an remota tantùm; num voluntaria, an verò, & qualiter involuntaria; an occasio ista sit continua, an interrupta, pro quorum intelligentia sciendum est.

Secundo. Occasio remota est circumstantia raro ad peccatum inducens; proxima verò, licet in

ea ſemper non peccetur, eſt circumſtantia frequenter in peccatum inducens, eo quod adferat morale delinquendi periculum. Hæc relabendi frequentia ex qualitate peccati, ex vehementia tentationis, aut ex infirmitate perſonæ peccantis eſt commenſuranda.

Tertio. Occaſio proxima eſt voluntaria, quando illi quis ſe ſponte ingerit, aut eam ſine ſuo incommodo deſerere valet; involuntaria vero vel phyſice talis, quam quis ſpectatis naturæ viribus evitare nequit, vel moraliter talis, quam quis ſine ſuo graviſſimo damno deſerere non poteſt, aſt hic videndum, num vere malum iſtud ſubſit, ne mentiatur iniquitas ſibi.

Quarto. Occaſio continua eſt, in qua quis continuo verſatur, non quaſi ſemper ſine interruptione in illa peccare debeat, ſed quatenus circumſtantia illa extrinſeca ſemper inducit periculum proximum peccandi, ut ſi perſona quædam libidinis exercendæ cauſa domi retineatur, & concubinatus dicitur; interrupta vero eſt, in qua quis non continuo verſatur, ſed quoties, & quando, & ubi vult, & cui, quoties ſe quis illi ingerit, conjunctum eſt periculum proximum peccandi, talis eſt in juvene ad feneſtras tempore nocturno amaſiam ſuam inviſere ſolito, occaſio proxima etiam in aliis materiis invenitur, ſic famulus per cubile Domini ſui ſingulis diebus tranſiens, & aliquid de pecunia ibi repoſita auferens eſt in occaſione proxima, quatenus liber tranſitus per locum, ubi ſcit exiſtere pecuniam, eſt circumſtantia ad furtum alliciens.

Quinto.

Quinto. Quamvis omnis occasio peccati adferat illius periculum, non tamen omne periculum eo ipso dicit occasionem, qui enim ex propria fragilitate intrinsecâ diuturnam habet consuetudinem consentiendi obscœnis cogitationibus, est in periculo proximo peccandi, non tamen in occasione peccati, quia hæc importat circumstantiam loci vel actionis extrinsecam allicientem ad peccatum spectatâ humanâ propensione ad malum. Potest vir castus, temperans, justus versari in variis occasionibus peccandi contra castitatem, temperantiam, justitiam, quin adsit periculum proximum taliter delinquendi; & quamvis ut periculum peccandi sit proximum, non requiratur certitudo, sed sufficiat probabilitas peccati futuri, sunt tamen multi adeo obfirmati in exercitio virtutis, ut sibi faciant moralem certitudinem se non esse pervertendos.

Sexto. Occasio proxima est absoluta, quæ spectata hominum fragilitate frequenter in peccatum inducit, ut siquis domi retineat & sustentet concubinam, cum qua sæpius labi solet; respectiva autem, quæ solum ratione specialis fragilitatis aut dispositionis alicujus in particulari sæpius cum peccato conjungitur, attamen in hoc sacro tribunali parum refert, an occasio quædam aliis remotum duntaxat ingerat periculum, modo in hoc particulari pœnitente subsit periculum peccandi proximum, ad quod attendere debet Confessarius.

Septimo. Occasio proxima ordinarie infertur ex eo, quod quis in illa frequenter peccare so-

leat, interim frequentia peccati etiam ſæpe commenſuranda eſt reſpective ad tempus, & ad locum, quem adire ſolet, ſic ſi mercator quidam ſemel in anno tendat Francofurtum ad nundinas, & ibidem in certa Domo cum hoſpitiſsâ carnaliter peccare ſoleat, ædes iſtæ ſunt illi occaſio proxima peccandi, quia adeſt circumſtantia extrinſeca alliciens, & periculum proximum peccati futuri.

Octavo. Deſinit tamen occaſio, ſi mulier illa non amplius in ædibus illis commoretur, aut mortua fuerit, vel etiam, ſi interna illarum perſonarum diſpoſitio, aut ſpecialis infirmitas, quæ proprie relapsûs cauſa extitit, immutata fuerit; aſt nemo facile ſibi perſuadeat, tantam in ſe ſubito mutationem accidiſſe, ut in occaſione, in qua ordinariè ſuccubuit, victoriam ſibi polliceri poſſit, præſertim ſi ſponte ſe occaſioni ingerat, in qua Deus hominem ſpecialiter præſervare minime ſolet, terreant hic quemque veſtigia Davidis viri aliàs ſanctiſſimi.

Nono. Non tenemur evitare occaſiones peccandi remotas, quia ejuſmodi obligatio nimium eſſet difficilis, atque de re moraliter impoſſibili, cum vix aliquid in hoc univerſo reperiatur tam bonum & ſanctum, quod non poſſit præbere peccandi occaſionem, & ſane ſi talis in homine eſſet obligatio, plerique homines tenerentur mutare ſtatum ſuum, & ſeſe abdere in Monaſteria & Eremos, imo cum nec in iſtis deſint errandi occaſiones, omnino ex hoc mundo exire deberent, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 5. quare citra dubium abſolvi poteſt & debet, qui propo-

ſitum

situm habet non deserendi militiam, mercaturam, quæsturam, aliasque id genus occasiones remotas peccandi, quas perversi faciunt sibi esse proximas.

Decimo. Communis est Doctorum sententia, istum peccare graviter, qui se exponit periculo, etiam quod est tantùm probabile, peccandi mortaliter, quia qui amat periculum, peribit in illo, imo talis censetur velle peccatum, qui periculum non vitat, ex quo delictum futurum prævidetur, & quidem voluntarie sese exponere peccandi periculo proximo est ejusdem speciei malitia, ac ipsum peccatum actuale, cujus cognito discrimini sese quis temerè objicit, ex quo consequens est, quod, qui periculum proximum peccati mortalis præcognovit, licèt illud peccatum non sequatur, tamen peccaverit, & confiteri teneatur.

Undecimo. Siquis advertit in occasione quadam esse periculum proximum delinquendi mortaliter, sine reatu culpæ gravis voluntariè in ea persistere nequit, sed est obligatio gravis hoc fugiendi, nisi obedientia, aut charitas imperet, ut actionem, cui tale periculum conjunctum est, aggrediatur, tunc *à Deo certissima cum spe* (ait S. Basilius in Constit. Monast. c. 26.) *Facultatem petat, per quam cum in officiis spiritualibus, tum in corporis muneribus rectè administrandis actuosum, commodumque instrumentum sit, sine dubio, qui promptæ & alacri voluntati aspirat, eam largietur, cum dixerit: petite & accipietis.* Si eam evitare nequeat, internè obfirmare tenetur animum eliciendo actus virtutum, ut saltem periculum proximum dissolvatur, sicque à peccato liberabitur dicente

S. Basilio in Constit. Monast. *Qui urgente aliqua causa, & necessitate se periculo objicit, vel permittit esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire, & ideo magis Deus providebit, ne in illo pereat.*

Duodecimo. Qui temerè Deum tentat, captatam illicitè occasionem proximam nolens deserere, absolvi nec debet, nec potest, quia occasioni insistens enervat efficaciam propositi, ejusque particeps fit Confessarius, pœnitentem absolvens indispositum ad absolutionem; propositionem hanc damnavit Innocent. XI. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.*

Decimo tertio. Notanda est etiam illa damnata ab eodem: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Item hæc proscripta ab Alexandro VII. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset* &c.

Decimo quarto. Quando pœnitens constitutus in occasione proxima peccandi prima vice sincere manifestat statum suum Confessario cum firmissima promissione, se occasionem illam esse derelicturum, absolvendus est: quia prudenter creditur prima vice eidem promittenti se omnia necessaria adhibiturum, & jam esse ritè dispositum.

Decimo quinto. At verò si pœnitens promissis non steterit, dicatur homini displicere repetitas

pro-

promissiones rei cito præstandæ, magis autem incongruas esse tales inefficaces repetitiones, si res sit inter Deum, & hominem; pauperibus illusorias videri repetitis vicibus factas promissiones eleēmosynæ, dum reipsa non datur; non dicit scriptura, quod vota sint sæpius repetenda, sed *reddenda Altissimo* si sincere voluit promissor, cur tardat facere, quod voluit? quare pœnitens se vinculo non expedivit, antequam ad confessionem accederet? Confessarius sciens e. g. dimissionem concubinæ esse medium necessarium reducendi pœnitentem ex proximo periculo æternæ damnationis, dissimulando non intendit finem, qui sine illo medio nequit obtineri.

Decimo sexto. Cum non semper possit occasio penitus amputari, necesse erit scire, quando sufficiat ex occasione proxima facere remotam. Sufficit tunc, si metuatur occasione totaliter vitatâ plurium & majorum peccatorum periculum e. g. cum filius desertâ domo paternâ sibi soli relictus exponatur majorum delictorum periculis, præter dicteria, & alimentorum defectum, propterea adhibenda sunt remedia eadem, quæ præscribuntur illis, qui sunt in occasione involuntaria.

Decimo septimo. Qui est in occasione proxima physicè id est absolutè involuntaria, tenetur ad extenuandum periculum peccati spiritualibus armis animum suum obfirmare contra tentationes, & si quasi vis inferretur, internè per certam de Dei auxilio conceptam fiduciam, & bonos affectus est resistendum, cum alia via hic non

ſuperſit, quâ proximam mutando in remotam vitetur peccatum.

Decimo octavo. Qui autem verſatur in occaſione proxima peccandi moraliter involuntaria, nempe quam abſolutè quidem poteſt, non tamen ſine gravi ſuo incommodo deſerere, tenetur ex occaſione proxima facere remotam, hoc modo: ponamus tentari â puella filium familias, quam Pater à ſervitio dimittere non vult, caveat, ne unquam ſit ſolus cum ſolâ, ne familiaritatis aliqua indicia patefaciat clam aut palam, cujus principium & cauſa ſit non ratio, ſed irrationalis ſenſualitas; Deum ſemper ſibi præſentem & omnis actionis obſervatorem, ac judicem cogitet. Si puella ipſum vel jam ſeduxerit ad turpia, vel ſaltem tentaverit ſeducere, minetur manifeſtationem aut aſperâ correptione abſterreat.

Decimo nono. Ut jam dicta clariùs eluceſcant, comparentur Pater, & filius; ſi Pater confiteatur: ego indies ſolus cum famula meâ in aliquo conclavi laboro, & carnaliter ſæpe cum eâdem pecco. Etiam filius confiteatur: ego Patris juſſu in aliquo conclavi laboro cum famula, & indies pecco cum illa carnaliter, jam illa me illicit, jam ego illam; domum paternam deſerere nequeo, nec crimen aperire valeo ſine famulæ infamiâ, etiam meo damno, cum probare non poſſem. *Reſp.* Pater abſolvi non debet, ſicut nec clericus habens talem focariam, utpote conſtitutus in occaſione proxima voluntaria. Vid. propoſitiones damnatæ ſupra adductæ; filius familias autem tenetur, ut abſolvi poſſit, ex occaſione proximâ

facere

facere remotam, ùt ſuprà. Si media illa ſpiritualia, & corporalia orationis & mortificationis adhibuerit promptâ & alacri voluntate, juxta ſupradicta verba S. Baſilii *ſine dubio* opem conſequetur à Domino; ſi dicat, ſe nihilominus per illecebras famulæ tentari, doceatur imitari S. Thomam Aquinatem, qui arma invenit, quibus defenderet caſtitatem impetitam, ſi autem per propenſionem propriam, egreſſus domo paternâ alibi occaſionem reperiet, & tanquam incorrigibilis ſine abſolutione dimittendus eſt, cum ſit fundatè præſumendum, quod media non adhibeat, quâ poteſt & debet, voluntate. Si dicatur, quod Pater prolem inducat ad libidinoſum conſortium, maritus uxorem, imitari debebit proles, aut uxor Lothum exeuntem è Sodomâ. Quamdiu autem domi eſt inter pericula, cavere ſibi debet ab eo, à quo ſibi Loth non cavit, nempe ab ebrietate, & muliebri illicitamento.

Vigeſimo. Remedia vitandi periculum proximum peccandi ſunt ſequentia: turpitudinem peccati mortalis cognoſcere & pernitioſos illius effectus, excitare ſæpe dolorem de peccatis illis, ad quæ advertit inclinare naturam invitante occaſione; frequenter propoſitum non peccandi renovare, conſiderare hominis noviſſima, mortem, judicium Chriſti judicis, retributionem bonis & malis dandam, vitare viſûs, auditûsque, & colloquii pravi illecebras; quotidie de paſſione Domini cogitare; & petere auxilium divinæ gratiæ, Sacramenta frequentare ſaltem ſingulis quindenis, eidem Confeſſario committere directionem animæ ſuæ; hanc attentâ librorum ſpiri-

tualium lectione & auscultatione pii sermonis, seu concionis pascere, dum tempus & locus est.

Vigesimo primo. Si pœnitens dicat: personam istam deserere nequeo; pauper est, & rebus meis utilis; fidem feci, me illam non esse derelicturum; per aliquot annos modo in ædibus meis habitavit; quid dicent homines? si nunc dimittatur, scandalum proximo præbebitur; inanes hæ excusationes obligationem evitandi peccata non extinguunt. Si pauper est, panem alibi labor comparabit honestiùs, quàm si hæreatur in sorde peccati. Fides ne jurata quidem obligat dum sine dispendio æternæ salutis servari nequit: cessatio peccaminosæ cohabitationis eò magis est urgenda, quo diutius fuit continuata; eò spectat sententia Evangelica: *Si oculus tuus fuerit nequam, erue eum & projice abs te*, &c.

Vigesimo secundo. Inter officia humanæ societati necessaria quædam juxta communem æstimationem exponunt magis periculo tentationum, ùt Confessarii, medici, chyrurgi, servientium infirmis &c. sed hi omnes præmunire se possunt spirituali antidoto, ut non tantùm innoxia, sed etiam meritoria sint exercitia eorum officiorum, si bonâ cum intentione, & timore Domini ea peragant, & ad bene peragendum se per studium, & respectivè per anatomiam, per chyrurgiam, artem obstetriciam præparent; tales, siquid humanitus patiantur, dummodo non permittant, sed renitantur, non peccant; quia volens motibus carnis acquiescere, vult, quod debet non velle, & potest non velle. Confessarius

dicens

dicens se post Sacrum ministerium solere consentire in peccata carnalia, facit fundatè præsumi, quod spiritualia remedia debitè non adhibuerit, & superior non tenetur eum liberare ab obligatione per obedientiam injunctâ, nec ipse potest se obedientiæ subtrahere invito superiore, cum certa sit sententia S. Basilii suprà indicata innixa verbis Christi; *petite & accipietis*, & verbis Apostoli, quod non sinat Deus ultra posse nos tentari,

Vigesimo tertio. Prudentia dictat, absque sufficienti causa apprehendendum non esse periculum peccati proximum, stultum enim foret, tantùm ideo nolle audire confessiones, nolle fungi officio mercatoris, Chyrurgi, Advocati, militis, quia hæ conditiones periculis plenæ sunt; nolle salutare mulieres, cum in his secundùm se non sit proximum delicti periculum, quare cum timore Domini in omnibus ita agat, quisquis per Dei providentiam ad tale aliquod officium applicatus est, sicut dictat conscientia super obligationibus statui suo propriis informata, & sicut videt alios probos & prudentes homines ejusdem statûs conversari, & siquid delicti vel per seductionem, vel propriâ suâ culpâ commiserit, statim expiet per pœnitentiæ Sacramentum, & dum observat multa ab aliis ejusdem statûs committi peccata, seu per libidinem, seu per avaritiam, discat eò cautius obligationi statûs intendere.

Vigesimo quarto. Imprudenter tamen agit, qui manet in familiari consortio cum sociis sui statûs, à quibus advertit se ad illicita tentari, judi-

cando se esse satis prudentem, & probabiliter non esse ab aliis seducendum, quia licet futuritio sit probabilis, ipsum tamen peccati periculum tunc certum est, adeoque grave malum animæ; sicut saluti corporis malè consulit, qui imprudenter subit periculum probabile vitam amittendi, quod vitare potest, si velit.

Vigesimo quinto. Quando occupationi alicui facilè jungitur irritatio vehementis passionis, v. g. lectioni poëtarum obscœnorum, & librorum (ùt vulgo vocantur) romanensium, in quibus expressionum subtilitas, & Styli elegantia quæritur, nunquam sufficit propositum exercendi quosdam actus devotionales, ut securè possit ea lectio continuari, quia consideratâ fragilitate propriâ temerarium est tali illicito medio quærere doctrinam, & fidere virtuti suæ.

Vigesimo sexto. Si puella procum tempore nocturno intra cubile suum soleat admittere, neutri danda est absolutio, quia talis congressio est occasio proxima multipliciter peccandi, licet fornicatio non sequatur. Malæ mentis non obscurum indicium est noctis tenebras & latebram quærere; qui malè agit, lucem odit.

Vigesimo septimo. Choreas seu saltationes sapienter monuit S, Franciscus Salesius philot. p. 3. c. 33. ex se quidem indifferentes esse, sed nocturnas valde in malum propendere, & plenas esse periculi ob vanitatem ad amores conciliandos disponentem, nisi ejusmodi choreæ inter juvenes & puellas institutæ modestiâ, dignitate, & bonâ

inten-

intentione condiantur, pro occasione proximâ juste habentur; sumptuum, temporis, & societatis cauta consideratio habeatur, & imprimis cogitatione de præsentiâ Dei obfirmari debet animus, ne sensuum operatione perversâ offendatur, sed intra terminos à Deo per legem, & lumen rationis positos recreatio contineatur; post illam recreationem fiat debita reflexio, an christiana cautela fuerit observata, ut siquid humanitus intercurrerit, Deo satisfiat, ac pro futuro statuatur, quod timor Domini dictaverit. Hanc suam de choreis sententiam laudatus vir Sanctus, dixit *communi, & verâ optimorum, & doctissimorum Theologorum doctrinâ fulciri.* Hæc rusticolarum choreis, quales in nonnullis districtibus hujus Archidiœcesis scandalosè practicantur, applicari non possunt, cum per peccata iræ, ebrietatis, luxuriæ, & injustitiæ causent funestos adeo effectus, ut non tantùm Parochi resistant; sed & honoratiores parentes Filiis & filiabus ad eas aditum non permittant.

Vigesimo octavo. Frequentare popinas de se illicitum non est, cum ad illas accedant homines honesti, de mercatura & aliis negotiis conferentes, verum sicut alia quædam per se licita per circumstantias temporis, loci, personæ fiunt illicita, ità & popina multis præbet periculum peccandi proximum propter otium, dilapidationem, peccata linguæ per detractiones, rixas &c. propter intemperantiam, ludos illicitos merè à sortis eventu dependentes; tales pro lubitu permittere pro otiosorum arbitrio cauponibus non licet.

Vige-

Vigesimo nono. Toleranda non est pessima consuetudo earum fœminarum & puellarum, quæ corpus non tegunt, sicut christiana modestia statui congrua, & castitas exigit, moneantur, ut scandalum caveant, si admonitæ deterrimum hunc abusum non tollunt, sciant debita ad Sacramentorum reverentiam, fructúmque dispositione carere, cum non contentæ suo damno spirituali alias etiam animas perimant.

Trigesimo. Si Confessarius videat se absolutionem alicui in occasione proxima hærenti ob emendationis defectum dare non posse, sine durâ correptione suaviter illi ostendat, quare expediat absolutionem ad aliquod breve tempus differri, ut ea deinceps sine sacrilegio concedi possit. Si autem S. Communionis omissio eam absolutionis denegationem certò secutura per circumstantias occultari non possit, & pœnitens vehementer compunctus S. Indulgentias eâ die lucrari desideret, erit pro eâ vice ratio sufficiens ad licitè absolvendum, etsi aliàs dignum se fecerit pœnitens denegatione absolutionis, nimis diu differendo fugam occasionis proximæ, aut non restituendo post sæpe frustratas promissiones restituendi.

Ultimo. Dum rationabile est dubium, & in praxi fundata suspicio, anteriores saltem aliquas confessiones ob defectum partis essentialiter requisitæ, puta doloris, qui sine proposito sincero sufficiens esse non potest, invalidas fuisse, suadeatur proximè instituenda confessio generalis respectivè ad tempus, intra quod ob pravam consuetudinem frustratus est effectum Sacramenti.

CAPUT

CAPUT XXVII.

QUOMODO AGENDUM CUM FATUIS, SURDIS, MUTIS, ET CUM ILLIS, QUI SUNT LINGUÆ PEREGRINÆ.

Primo. Qui est plenè fatuus ab infantiâ, absolvi non debet, quia nullam habet notitiam hujus Sacramenti, nec illorum, quæ ad validam susceptionem requiruntur. Siquis pro tali habeatur communi omnium judicio, & flectat ante Confessarium, se signo crucis muniat, dicat etiam se velle confiteri, non debet audiri in publicâ Ecclesiâ, sed, ne alios turbet, removeri, hæc enim facit, quia similia ab aliis fieri vidit, si autem seorsim in Sacristiâ petat, absque ceremoniis Sacramentalis judicii explorandum est, qualiter se accuset, inde certior fiet Confessarius super statu mentis, an sit vel non sit plenè fatuus.

Secundo. In semifatuis præsertim illis, qui post diuturnum usum rationis ex corporis infirmitate hunc animi morbum contraxerunt, adest aliqualis cognitio circa illa, quæ pœnitentiæ Sacratum concernunt, ac proinde si Confessarius prudenter judicet, quod in illis saltem imperfecta reperiatur cognitio eorum, quæ ad pœnitentiam requiruntur, poterunt absolvi sub conditione toties, quoties id illorum conditioni conveniens esse censetur, nempe in periculo mortis, & ante communionem paschalem iis dandam, si satis possint divinum hunc cibum à terre-

terreno diſcernere. Super quo, cum ex frequentiori obſervatione certiùs judicari poſſit, idem Confeſſarius ſemifatuum accedat.

Tertio. Lunatici, qui quandoque delirant, tempore lucidi intervalli abſolvi poſſunt, ſicut alii rationis compotes, quia tempore illo intermedio ſicut ſatis prudentes ſunt in aliis negotiis, ita meriti & demeriti capaces ſunt, cur ergo ſalutari hoc medio priventur?

Quarto. Semifatuus, qui aliquando habuit uſum rationis, in articulo mortis diſponi debet ad pœnitentiam, in quantum id fieri poterit, interrogando, annon doleat quod Deum offenderit, & abſolvi petat, ut ad cœlum perveniat; ſi pectus tundendo dolorem oſtendat dubium, abſolvendus eſt ſub conditione, abſolutè autem, ſi certum oſtendat ſignum doloris, quia Sacramentum hoc propter homines inſtitutum tum maxime ſalutare eſt, & neceſſarium. Si nunquam plenum habuit uſum rationis, incapax eſt ut peccati, ita hujus Sacramenti.

Quinto. Surdaſter ſeu graviter audiens confiteatur in Sacriſtiâ, aut alio loco congruo, ne à circumſtantibus audiatur confeſſio, aut Confeſſarii inſtructio, & quid injungat pro Sacramentali ſatisfactione. Similiter Parochus habens aliquem defectum auditûs debet ſecuritati ſuæ adminiſtrationis providere, quamdiu hoc malo laborat, utrimque præcaveri debet periculum, ut ſit moralis certitudo, quod verba ſatis intelligantur viciſſim prolata.

Sexto.

Sexto. Si accedat mutus pollens facultate auditûs, ut Confeſſarium loquentem audire & intelligere valeat, in loco congruo per ſigna confiteatur, aut Scripturam, ſi ſcribere ſciat, juvetúrque per interrogationes, ut Confeſſarius in peccatorum notitiam deveniat, providè monendus eſt, ut eliciat dolorem univerſalem & ſe accuſet ſuper omnibus peccatis unquam commiſſis, etiam illis, quæ per ſigna forſan ſufficienter non fuerint intellecta, & paratum ſe oſtendat ad alicui Confeſſario talium ſignorum magis gnaro ſigillatim confitendum, ſiquod mortale putet non ſatis eſſe à Confeſſario intellectum, interim verò omnia pro remiſſis habeat vi hujus abſolutionis, quia ſic Confeſſarius magis certificatur de requiſitis ad hoc Sacramentum.

Septimo. Quando aliquis in rebus fidei, & præſertim in iis, quæ ad pœnitentiam requiruntur, ſatis inſtructus evadit mutus ſimul & ſurdus, peccata commiſſa in ſcriptis extradere poterit Confeſſario, ſignum doloris oſtendens, ſi ſcribere valeat, ubi vero ſcriptionis eſt ignarus, per ſigna exprimere debet peccatorum numerum & ſpeciem, in quantum id fieri poterit, cum defectum plenioris explicationis excuſet impotentia. Quoties autem talis ad Sacramentum pœnitentiæ admitti deſiderat, Confeſſarius ad laborioſam hanc adminiſtrationem ex charitate ſe reſolvat, dum poteſt loco & tempore opportuno.

Octavo. Qui à nativitate ſurdus, mutus, & cœcus eſt, perpetuo amenti comparatur, ac proinde ſolius baptiſmi capax cenſetur, ſi vero

poſt

post habitum usum rationis, & sufficientem instructionem casu vel senio factus sit talis, per signa ad confessionem est adducendus, adeo ut ipsius manu propria signum Crucis in fronte formetur, manus junctæ sursum eleventur, Sacræ vestes Sacerdotales tangendæ præbeantur, & quantum ad sacram Eucharistiam, ut pollice circulus in ore ipsius formetur, ad quæ signa facta si ipsemet incipiat pectus percutere, aut manus sursum erigat, absolvi poterit, si vero per similia nihil efficiatur, aut nihil externe percipiatur, providentiæ divinæ per preces commendetur, & dum gravis morbi signum apparet, sola extrema Unctio est administranda.

Nono. Si Confessarius sit adeo linguæ imperitus, ut periculum sit erronei judicii de statu pœnitentis quo ad peccata mortalia, talem ad alium linguæ istius peritum remittere debet, præcipuè si non adsit periculum mortis; licet hoc molestum sit pœnitenti jam disposito, cum non liceat recedere à lege ad alicui gratificandum, qui non est legitimè dispensatus: aliud est, si hoc adsit, & alius commodè haberi non possit, quia tunc intellecto uno aut altero peccato veniali, etiam non perceptis mortalibus, absolvi poterit pœnitens ob impotentiam integritatis materialis, sed cessante periculo, & datâ opportunitate confitendi alicui talis idiomatis perito, erit obligatus ad confitendum illa, super quibus quoad speciem & numerum facta non fuit confessio materialiter integra.

Decimo

Decimo. Si pœnitens adhibitis quibuſdam loquendi formulis Confeſſario ignotis, ſed vulgo intra illum locum, & viciniam longo uſu notiſſimis delicta ſua confiteatur, per interrogationes Confeſſarii, & per explicationem pœnitentis exploranda eſt ſignificatio talium verborum; ſi deprehendatur tali phraſi pœnitentem affectatè uti ad tegendam malitiam, certum eſt, quod abſolvere non debeat, quia peccatis haud intellectis judicare nequit de recta confitentis diſpoſitione, cum forte propter illa delicta non percepta ſit indignus abſolutione; certè talis malitia indignum facit, quia confeſſio debet eſſe ſincera. Quicunque opinantur ad confeſſionem Sacramentalem ſufficere, quod omnia ſint diſtinctè dicta, ſive intellexerit Confeſſarius, ſive per imperitiam idiomatis, quo pœnitens uſus eſt, aut defectum auditûs, aut per ebrietatem, ſomnolentiam, per diſtractiones caſu fortuito, aut malitiosè captato cauſatas non intellexerit, quicunque tales inquam, non capiunt, quid ſit judicium Sacramentale, quo bonus Confeſſarius diſcernere debet inter lepram, & lepram. Certè nullus corpore infirmus taliter informat medicum corporalem; Catechiſmus debet ab illo errore homines ſalutis æternæ non incurios præſervare.

CAPUT XXVIII.

QUOMODO AGENDUM CUM ILLIS, QUI IN ODIO VIVUNT, ET INIMICITIIS SUNT IMPLICITI.

Resp. primo. Satis notum, quod ex inimicitia odium oriri ſoleat, quod ſæpe de menſe in menſem, & quandoque etiam in annos uſque protrahitur, ex quo varia damna & peccata naſcuntur. Ut radicem, & ſurculos, qui ex irâ prognaſcuntur, indagare poſſit Confeſſarius, diligenter examinandi ſunt pœnitentes, qui in odio vivunt, & de tali ſe accuſant.

Secundo. Odii radix eſt ira ex facto proximi, quod quis ſibi injurioſum reputat, cauſatæ iræ effectus ſunt odium, vindictæ cupiditas, imprecatio mali, gaudium de infortunio illius, quod fortè patitur. Qui tale aliquid confitetur, examinandus eſt, quamdiu duraverit odium, quale malum, & quoties minatus, aut imprecatus fuerit; annon reipſa damnum intulerit detrahendo, calumniando aut in aliis bonis nocendo. An, ſi ſubditus ſit, ex ira, & odio voluerit transgredi legem aut mandatum ſuperioris ex formali contemptu, aut reipſa transgreſſus ſit. An ſigna generalia, quæ homines inter ſe ſolent ſibi exhibere, cum ſcandalo denegaverit. An inimico deprecanti veniam negaverit &c. litigium coram competente Judice per ſe non eſt ſignum odii, aut inimicitiæ, ſed tamen perſæpe occaſionem peccandi præbet, ideo litigantes monendi ſunt, ut abſtineant ab impertinentibus, & à frivolâ appellatione.

Tertio,

Tertio. Pro inveniendo delictorum numero, indagandum est, an actus malus fuerit per notabile tempus, aut per retractationem sæpius interruptus, & quoties nova occasio se obtulit, repetitus; ex illâ frequenti repetitione e.g. affectûs libidinosi, aut cujuscunque propositi aliquem graviter lædendi dignoscere poterit Confessarius, qualiter pœnitens sit dirigendus.

Quarto. Cum ex præcepto Christi, *ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*, quilibet teneatur inimico suo reconciliari, & eidem officiositatem honestorum hominum, ac signa dilectionis communia exhibere, apparebit Confessario, an pœnitens sit verè indispositus & non absolvendus, dum reconciliationem recusat, aut signa illa communia exhibere detrectat, nempe illi reponendum est: *vade priùs reconciliari Fratri tuo*, odium deponere jubet Evangelium, sed percutienti *maxillam præbere & alteram; auferenti pallium offerre etiam tunicam* non dicit strictum præceptum. Consilia illa monstrant viam ad perfectam Christi imitationem. Cum Luc. 12. rogaretur; dic *fratri meo, ùt dividat mecum hæreditatem*, non jussit abstinere à divisione, sed ipse Dominus nolebat in se suscipere judicium.

Quinto. Qui eleemosynam in omnes pauperes advenientes erogat, cognatos omnes ad prandium invitat, quosvis vicinos salutare solet, illicite inimico ejusdem statûs hæc signa denegat, quia id sapit vindictæ cupiditatem, si tamen justa hoc faciendi adesset causa, hæc comparen-

tibus imò & inimico manifeſtari debet, ne iſti concludant id ex averſione quadam & odio fieri.

Sexto. Signa dilectionis ſpecialia & beneficia particularia, ut hoſpitio aliquem excipere &c. ſicut quis non tenetur exhibere proximo etiam amico, ita nec illa oſtendere tenetur inimico, ſuppoſito tamen, quod denegatio hoſpitationis per circumſtantias eam quodammodo neceſſitantes ſcandaloſa foret, Lex naturalis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, obligaret; per hoc facillima erit via ad reconciliationem, & amicitiæ redintegrationem.

Septimo. Qui prior fuit in diſſolvendo amicitiam, prior eſſe debet ad eam reconciliatione reparandam. Offenſus licitè ſatisfactionem ſibi reſervat Judicis legitimi æſtimatione taxandam, ſi injuria fuerit damnoſa; ſi autem damnum non intulerit, diſſuadendum eſt ordinariè, ne illa exigatur, cum communiter videatur procedere â ſtudio vindictæ, quod ſatisfactio prætendatur.

Octavo. Injuriam ab inimico illatam necdum ex integro eſſe remiſſam, ſed veſtigium veræ averſionis ſupereſſe, colliges ex ſequentibus: ſi offenſus illum, à quo offenſus eſt, etiam officiosè alloquentem non honoret reſponſo honoratis congruo; ſalutantem non reſalutet; ſi, quod frequens eſt, moleſte, aut ægrè ferat, quod amicus offenſi cum eo familiariter loquatur; imò, quod nonnunquam fit, nexus amicitiæ propterea diſrumpatur, proli, & domeſticis ejus auſtero

ſtero vultu obvietur, domum & templum ideo evitetur, ut conſpectus ejus ſubterfugiatur.

Nono. Si pœnitens dicat ſe hactenus quidem ſincere injuriam non remiſiſſe, nunc autem adeſſe propoſitum, & ſeriam voluntatem id faciendi, Confeſſarius, ut veritatem exploret, ſibi ab eo faciat ſeriem illatæ injuriæ explicari; ex verbis narrantis conjicietur non obſcurè interna mentis diſpoſitio, ſiquid iræ in corde lateat, in invectivas prorumpet.

Decimo. Communis eſt hæc multorum querela: ignoſco quidem, & ignoſcere teneor, verùm major eſt injuria, quàm ut illius poſſim oblivīſci, non odi quidem inimicum meum, aſt illum coram intueri, aut ſalutare non poſſum ſine motu amaritudinis &c. His auditis eum Confeſſarius interroget, an præfati motus ſint involuntarii, & an illis ſemper reſiſtat pœnitens, an vero ſint voluntarii, & an deſiderium vindictæ aliquando accedat, ſi dicat involuntarios eſſe, & ſe reſiſtere conari, dubitare tamen, an ſemper, imò probabilius ſibi videri, quod ſæpe non reſiſtat, ejuſmodi averſio cordis non tam peccatum malitiæ, quàm infirmitatis ob enormitatem injuriæ, aut naturalem genii complexionem poterit reputari, & quædam ex diſpari genio orta antipathia, cui fragilitati eatenus indulgendum eſt, ut abſolvatur ſed cum admonitione reſiſtentiæ, quâ vincatur natura, & docilior fiat evangelicæ legis. Si autem appareat eſſe voluntarios cum vindictæ appetitu, abſolutio differatur, donec omnis rancor, & ira penitus deſinat.

Undecimo. Si pœnitens dicat ſe ignoſcere non poſſe, viciſſim Confeſſarius dicat ſe non poſſe abſolvere, ſed charitativè adhibeat ſalutaria monita, adducendo exemplum, quod à Chriſto monſtratum eſt in monte Calvariæ, dum non ſolum pro maledicentibus & calumniantibus, ſed etiam pro ipſis crucifigentibus oravit dicens: *Pater ignoſce illis, non enim ſciunt, quid faciunt.* Perſuadeat etiam, ut ſæpius attente perſolvat orationem Dominicam, in qua peccator petit ſibi à Deo remitti debita eo modo, *ſicut* ipſe *dimittit* iis, qui ſibi ſunt *debitores*, ſi ergo pœnitens injuriam remittere renuat, quomodo à Deo miſericordiam conſequetur.

Duodecimo. Si admonitiones illæ omni fruſtrentur effectu, etiam in articulo mortis ſine abſolutione judicio divino eſt relinquendus; etſi inimicus ſit cauſa mortis per lethale vulnus, adhuc Chriſtum morientem imitari debet ignoscendo, legitimè interrogatus poteſt reum indicare, ut puniatur, & nemo innocens ſuſpectus fiat; deſideret tamen, ut punitio ſit ad animæ ſalutem. Cogitet: quis ſcit, quare Deus permiſerit me occidi, an meritus hoc ſim per occulta peccata, & an ideo, ut hìc eluam illa. Similiter contra odium proximi muniri poterunt depauperati per alterius culpam e. g. malitioſo incendio, ebrioſitate mariti.

Decimo tertio. Denique dum animadvertitur, quod talis alium faventiorem Confeſſarium ſit aditurus, doceatur, quod fruſtra alium quærat Confeſſarium, à quo ſperet abſolutionem, quia

hæc

hæc nulla erit, à quocunque detur Confessario; nisi ex corde remittatur injuria juxta verbum Domini: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis* (tradendo tortoribus) *si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Matth. 18.

CAPUT XXIX.

QUID CIRCA OBLIGATOS AD RESTITUTIONEM.

Primo. Omnis ille ad restitutionem in conscientia tenetur, qui ex culpa Theologicâ damnum intulit, unde famula v. g. quæ omittendo diligentiam in custodiendis rebus Domini specialiter sibi commissis, sponte patitur Domino inferri damnum, ad compensationem faciendam est obligata; hoc onus tamen restitutionis non inducitur, si intercesserit sola culpa juridica, nisi post sententiam judicis, & in casibus in jure expressis, de quo uberius Theologi in Tract. de Restit.

Secundo. Non tenetur ad restitutionem, qui actui externo gravis damnificationis non junxit actum internum mortaliter malum, ac proinde si damnum illatum nullo modo fuerit prævisum, nec omissio culpabilis ejus, quod curare poterat & debebat ad damnum avertendum, antecesserit, licèt rei illicitæ operam dederit, ante sententiam judicis in foro conscientiæ ad compensationem non obligatur. Nec aliqua oritur restituendi obligatio, si pœnitens tantum contra legem purè pœnalem peccaverit.

Tertio. Restitutio, cujus radices sunt injusta acceptio, & res accepta, necessaria est necessitate præcepti tum naturalis, tum positivi, non tamen necessitate medii, cum per se non sit medium ad hominis justificationem institutum. Causæ ab illa facienda excusantes sunt impotentia physica, & moralis, remissio à creditore liberè facta, & compensatio legitima.

Quarto. Errant, quicunque judicant, restitutionem ita esse necessariam, ut animæ defunctorum detineantur in igne purgatorio, donec ab eorum hæredibus fiat restitutio, vel enim defunctus, quando vivebat, fecit id, quod potuit & debuit sub mortali facere ad præceptum restitutionis implendum, vel non fecit? Si secundum, censetur mortuus ad locum damnatorum descendisse; si primum, justitia divina, quæ *reddet unicuique juxta opera ejus*, non permittit, ut pro suis delictis satis passus amplius patiatur ob culpam sui hæredis, quæ post sententiam à Christo juxta opera ejus in judicio particulari pronuntiatam committetur. Hæres tanquam repræsentans personam defuncti obligatur pro eo taliter, ut dum causa excusans moram non suppetit, differendo gravet suam animam propter culpam personalem. Qui debita solvere ipsi facilè poterant, sed hæredibus, & executoribus relinquunt solutionem sine causâ, non sunt sine culpâ, cum sæpe notabilis dilatio per mortem causetur.

Quinto. Qui confitentur, se rem alienam retinere, aut damnum proximo voluntarie intulisse,

lisse, ostendunt satis per hanc suî accusationem, quod sciant obligationem restitutionis faciendæ, sed interrogandi, quamdiu distulerint, an damnum illatum sit grave. Super retentione doceatur reflectere, an ex circumstantiis judicari possit eam esse valde damnosam, aut molestam ipsi Domino rei retentæ, ut ordinariè præsumendum de operariis, opificibus, propolis, modicas tabernas mercatorias habentibus, quibus non sufficit abesse periculum jacturæ, seu amissionis, sed moræ damnum notabile est.

Sexto. Varii in hâc materiâ occurrunt casus testamentarii, nuptiales, contractuales, quos etiam doctissimi ex tempore non satis securè præsumunt resolvere, quare, si hujusmodi casum proferat pœnitens, Confessarius, cum jam nec securè eum possit ab obligatione liberum, neque eâ gravatum declarare, eum hortetur, ut ad rem perfectiùs examinandam aliquem juris peritum adeat, pro nunc autem se paratum coram Deo declaret, quod si ab uno aut duobus Jurisperitis compererit se ad restitutionem aut solutionem obligari, lubens amore Dei, & justitiæ velit satisfacere, quo facto probabit se ad absolutionem esse benè dispositum, si autem hoc malit Confessario committere, dicat se tacito pœnitentis nomine consulturum, supposita informatione super circumstantiis antea indicandis; has nisi ùtùt doctissimus probè perspexerit, nec suæ, nec pœnitentis animæ bene consulit per dictatorium responsum seu absolutorium, seu condemnatorium, etsi nitatur ratiocinio, quod Confessarius judicat esse probabilius ob theticas

rationes, quas forsan hypothesis facit inapplicabiles. Confessarium fallere potest sua probabilioritas in damnum pœnitentis, aut ejus hæredum, ideo præstat in materiâ juris suadere, ut arbitrium boni Jurisconsulti quæratur, & tentetur transactio, aut amicabilis compositio.

Septimo. Quando obligatio restituendi est certa, non est necesse, ut restitutio fiat ante absolutionem, sed sufficit, quod pœnitens seriò promittat, se obligationi huic esse satisfacturum, quia, nisi præjudicium ex anterioribus confessionibus prudenter formandum obstiterit, est satis dispositus, quo obstante absolutio est deneganda, donec de peractâ restitutione constiterit, quia fundatè suspecta est dispositio pœnitentis.

Octavo. Qui oborto dubio culpabiliter negligit inquirere Dominum rei, quam possidet, si post aliquod tempus in notitiam venerit, quod res sit aliena, tenetur & rem ipsam Domino restituere, compensare damnum emergens & lucrum cessans ex eo tempore, quo dubitare incepit, quia dubitans ab illo tempore erat vi justitiæ commutativæ obligatus ad inquirendum rei dominum, ergo negligendo inquirere obligatio justitiæ commutativæ eum tenuit obstrictum ad restitutionem rei unà cum fructibus.

Nono. Ab onere restitutionis immunis non est, qui etiam de consilio Confessarii, rem alienam pauperibus per modum eleemosynæ donat, aut missas pro domino adhuc ignorato legi curat, quando dominus rei, quam alienam esse con-

constabat, in particulari ignorabatur, qnia res clamat ad suum dominum, si hic mortuus fuerit, restitutio facienda est hæredi. Etiam reum non liberat traditio facta Confessario, si quoquo casu fortuito, vel per incuriam, aut malitiam Confessarii ad dominum non pervenerit res injustè à reo detenta; talis traditio moram purgat, sed obligationem non perimit.

Decimo. Rem alienam injustè possidens, illam restituere tenetur, vel per se ipsum, vel per alium, qui si assignatus fuerit à domino, hujus erit periculum, aliàs autem erit possidentis, poterit ex charitate munus istud subire Confessarius speciatim rogatus, dum honor obligati periclitatur; sigillum confessionis cautè observetur. Seipsum sponte Confessarius ad hoc non offerat, ut suspicionem lucri proprii removeat. Si Confessarius est regularis, dicat superiori, se ad eum usum habere pecuniam depositam, ne contra votum impingere videatur, & ut prospiciatur securitati depositi.

Undecimo. Si debitum præsertim ex delicto, etiam per partes sit contractum, est obligatio illud totum statim extinguendi, si fieri possit, quia quoad totum est in morâ culpabili; sine justâ causa partim solvendo, partim differendo suum commodum quærit de alieno; ergo absolvendus non est ob defectum sinceræ voluntatis.

Duodecimo. Minùs absolvendi erunt illi, qui restitutionem ad mortem usque differre intendunt, aut eam hæredibus committere volunt, quia mora est domino damnosa, cum ejus intersit,

ſit, rem ſuam penes ſe habere, etiam forſan tricis ſit implicandus, dum hæredi, & executori teſtamentario minus perſpecti ſunt tituli, ob quos debita fuerunt contracta, quàm ipſimet debitori, tempus præſens interpellat pro domino.

Decimo tertio. Cum reſtitutionis impotentia ſæpe ſine fundamento veritatis allegatur, Confeſſarius datâ occaſione interroget, an vera impotentia adſit & unde illa proveniat, nonnunquam ex ſordido affectu erga pecuniam fingitur impotentia, ſæpe etiam ſe ipſos voluntarie & culpabiliter reddunt impotentes, dum debitis gravati nihil ſibi de veſtium luxu, & menſæ lautitiâ ſubtrahere volunt, imò luſui aut potui dediti bona ſua dilapidant, hi debent non abſolvi, ſed antea illas impotentiæ cauſas tollere, ut creditoribus, ſi ſimul totum nequeant ſolvere, ſaltem per partes ſatisfaciant.

Decimo quarto. Perverſitas voluntatis reſtituere nolentis, dum poteſt, & debet, ut efficaciter per Confeſſarium pœnitenti proponatur, præſertim dum periculoſus ſtatus ſanitatis annuntiat mortis periculum, explicetur ſententia S. Auguſtini: non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; & quam iniquum ſit, jucundari, & deliciari de alieno poſſeſſorem injuſtum, dum interim affligitur, qui ad vindicandam rem ſibi debitam non audet judicem interpellare ex metu majoris incommodi; & quod de male partis non gaudeat tertius hæres; denique proponatur lex illa divina, regula vitæ ſocialis: *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis,* Matth.

Matth. 7. & Luc. 6. à Christo dictata, etiam per lumen rationis indicata, cui consonat monitum Tobiæ c. 4. *quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri feceris.*

Decimo quinto. Si moribundus adferat casum in materia restitutionis adeo dubium, ut Confessarius illum resolvere nequeat, nec per tempus possit alibi consilium inquirere, huic remedio etiam obstet honoris periculum evidens, ad consulendum, & conscientiæ, & honori, vel scripto, vel verbo coram testibus declaret, hanc esse suam voluntatem, ut hæres Confessario extradat certam debito proportionatam pecuniæ summam certæ cuidam causæ piæ applicandam, hoc enim modo sine honoris jacturâ restitutio commodè fieri poterit, si verò postea certum fiat eam non esse necessariam, pecunia illa vel in pauperes distribui, vel ipsi hæredi sub certo prætextu cautè tamen ob sigillum reddi poterit. Si Confessarius metuat se ab hæredibus sugillandum, quod morienti suggesserit piam causam innominatam in suum, aut sui Monasterii commodum, suadeat sine ambage, ut dicat hæredi, se alicui fortè debere e. g. centum, & Confessarium desuper à se esse informatum, & commissionem habere examinandi. Præstat leviculum honoris detrimentum subire, quàm debitorem manere.

CAPUT

CAPUT XXX.

DE SATISFACTIONE POENITENTIBUS IMPONENDA.

Primo. Quod Deus remiſſa culpa non omnem ſemper remittat pœnam, colligimus ex eo, quod contigit Davidi, cui culpa à Deo fuit remiſſa, Filium tamen in pœnam peccati perdidit; etſi in novâ lege abundantior ſit gratia per Sacramentum reconciliationis, certum tamen eſt, quod quidem adultis per baptiſmum accedente virtute pœnitentiæ tota pœna remittatur cum culpâ actualium peccatorum, non tamen id ſemper obtineatur per Sacramentum pœnitentiæ, non ex infirmitate meritorum Chriſti, ex quibus virtutem ſanativam illud accepit, ſed ut relapſus doceatur fructus dignos pœnitentiæ facere, & cum timore ſalutem operari. Pœna æterna, quæ ob peccatum mortale ſubeunda erat, per Sacramentum pœnitentiæ remittitur, hoc attribuitur divinæ miſericordiæ, mutatur in temporalem, & hoc attribuitur divinæ juſtitiæ; huic ut ſatisfaciat pœnitens, in judicio Sacramentali imponenda eſt pœnitentia, ſeu opus aliquod pium & laborioſum à pœnitente perficiendum, ut reipſa ſatisfiat per opus gratia Chriſti dignificatum.

Secundo. Opera ipſa ex bona intentione peracta movere poſſe Deum ad condonandam pœnam promeritam & reſtantem, clariſſime docet Regum hiſtoria in Achab Rege, de quo ad Eliam Domi-

Dominus 3. Reg. 21. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum Domui ejus*, peccata ejusdem Regis, malum à Domino intentatum, & opera pœnalia peracta recensentur in eodem hoc capite. Ex quo

Tertio. Infertur, maximè utilem, & antiquissimam esse praxin Ecclesiæ Christi, dum pœnitenti confesso imponitur actio satisfactoria, tales sunt, oratio, jejunium, & eleemosyna, ut his puniatur peccatum, & reparetur injuria Deo illata, & pœnæ restantis reatus tollatur, quatenùs contra se ultionem exercet, est *vindicativa*, quatenus impeditur futura prævaricatio, est *medicinalis.*

Quarto. Confessarius tenetur pœnitentibus imponere satisfactionem respectivè convenientem & salutarem, tum vindicativam, tum medicinalem, proportionatam numero & gravitati peccatorum. Pœnitentis igitur attendi debet status, conditio, facultas ac dispositio, ut tradit Conc. Trid. Sess. 14. quod uni salutare, alii noxium esse potest, ut patet in jejunio.

Quinto. Non est, cur Confessarius satisfactionem imponens distinctam habeat singulorum peccatorum memoriam, quæ sæpe est impossibilis, sed sufficit, quod sic audiat, & intelligat omnia, dum proferuntur, ut in satisfactione injungenda meminerit status pœnitentis.

Sexto.

Sexto. Satisfactio injungenda eſt ante abſolutionem, ut ex humili illius acceptatione melius cognoſcatur pœnitentis diſpoſitio, ſi quis tamen ex oblivione ab ante ſatisfactionem non impoſuiſſet, poſt datam abſolutionem illius memor defectum ſupplere debet.

Septimo. Quando pœnitens poſt abſolutionem datam novum adfert peccatum, & nova datur abſolutio, prior pœnitentia augenda aut nova imponenda eſt, cum ſit novum judicium Sacramentale.

Octavo. Quod ſatisfactio ante abſolutionem impleri debeat, eſt doctrina Rigoriſtarum, qui ab Eccleſiæ obedientiâ ſeceſſerunt, quamvis enim ſatisfactio *in voto*, ut loquuntur Theologi Scholaſtici, ſeu ſeria voluntas ſatisfaciendi ante abſolutionem requiratur, tamen ſatisfactio *in re*, ſeu ipſa pœnitentiæ impletio poſt abſolutionem & utilis, & ſufficiens eſt, ut praxis oſtendit, & docet S, Thomas p. 3. q. 90. *Satisfactio, inquit, confert gratiam prout eſt in propoſito, & auget illam, prout eſt in executione*, unde merito damnatæ ſunt ab Alexandro VIII. propoſitiones 16. 17. & 18. *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, naturâ rei idipſum quodammodo dictante. Per praxin mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus. Conſuetudo moderna habetur ab Eccleſiâ pro abuſu.*

Nono. Pœnitentiæ intricatæ ex variis operum generibus, aut diverſarum orationum numero collectæ

collectæ non ſunt imponendæ, quia diverſarum precum congeries, aut piorum operum varietas oblivionem pœnitentiæ impoſitæ inducit, anxietatem in animis pœnitentium cauſat, aut certe illorum plerumque devotio remittitur ac tepeſcit. Ita S. Franc. Saleſ. in Inſtruct. pro Confeſſariis.

Decimo. Laxa tamen quorundam eſt, & illicita conſuetudo, omnibus pœnitentibus promiſcue aliquot *Pater & Ave*, unam alteramve decadem roſarii imponentium, ſicut merito ſpernuntur, qui eodem collyrio omnibus morbis mederi volunt, diſcedunt tales Confeſſarii à dictamine prudentiæ, pietatis, & juſtitiæ, dum *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate* pœnitentia eſt injungenda, ut jubet S. Synodus *Trid.* valde commendat S. Franc. Saleſius injungi lectionem alicujus libri ſpiritualis, quem Confeſſarius cenſuerit pœnitenti convenire, confeſſionem ſingulis menſibus per integrum annum, aut aliter aliquamdiu repetendam.

Undecimo. In taxanda ſatisfactione etiam habenda eſt ratio contritionis in pœnitente, quæ ut intenſior eſt, vel remiſſior, ita ſatisfactionis debitum plus aut minus diminui poterit, maximè (juxta monitum S. Caroli Borrom.) conſiderandus eſt animus pœnitentis.

Duodecimo. Sicut in abſolutione danda, ita in ſatisfactione injungenda abeſſe omnino debet reſpectus humanus, ne Confeſſarius ipſi pœnitenti, cui ex inani quodam timore favere intendit, viam aperiat ad ulteriora peccata futura, à quibus

impediri posset per majorem & proportionatam satisfactionem, quod bene notare velint plures Confessarii.

Decimo tertio. Improportionata est satisfactio, si pauperi magna quaedam imponitur eleemosyna, si continue occupato longae & repetendae orationes, si assidue laboranti jejunium injungitur, haec enim illorum conditioni non conveniunt.

Decimo quarto. Non expedit, ut famulis aut conjugibus prolixa jejunia, aut immoderatae injungantur macerationes, quia horum impletio ordinarie est in praejudicium tertii, cùm hisce nimium debilitati officio suo fungi non possint.

Decimo quinto. Saepe tamen obligatorium est, ut similia jejunia, & corporis mortificationes imponantur, illis praesertim, qui libidini dediti sunt, aut abdomini serviunt, quia per haec carnem Spiritui subjicere addiscunt, & illam ad exemplum S. Pauli in servitutem redigunt, ut carne mortificati, Spiritu reviviscant.

Decimo sexto. Poenitentiae publicae solis peccatis publicis congruunt; ad illa spectant verba Apostoli: *peccantem coram omnibus argue, ut & caeteri timorem habeant.* 1, Tim. 6. Si crimen in multorum conspectu commissum sit, unde alios scandalo offensos esse non sit dubium, poenitentiam publicè injungi oportet Trid. Sess. 24. de Ref. c. 81. latè de hoc Benedictus XIV. in Tr. de Synodo. l. 7. cap. 9. ubi dicit à S. Communione esse repellendum, sive occultè, sive publicè

blicè petat, si crimen enorme vere sit notorium. Quoad occulta sufficit confusio pœnitentis apud solum Confessarium, quare indiscreta est impositio illorum operum, quæ adimplenda aliis videntibus suspicionem ingerunt, hæc propter peccata enormiora à Confessario esse injuncta, maxime quia pœnitens illa vel non implebit, vel confessio reddetur odiosa.

Decimo septimo. Quandoque imponi potest opus aliunde jam præceptum ab Ecclesia, ita tamen, ut modus pœnalis non præceptus injungatur e. g. horas Canonicas unius diei, aut tridui recitare flexis genibus, aut Missæ dominicali toti excepto Evangelio flexis genibus assistere per integrum mensem. Pro talibus actibus interpolatis salubriter injungitur, ut ante singulos actus renovetur dolor cum proposito. Certum est, non satisfieri per opus aliunde præceptum, si simpliciter imponatur jejunium, vel auditio missæ, dum igitur pœnitens jejunat tali die, in quo ex præcepto Ecclesiæ vel ex voto jejunare tenetur, aut missam audit, quam debet audire ex præcepto, non satisfacit, cum Confessarius præsumatur distinctam obligationem intendisse.

Decimo octavo. Sæpe etiam cum fructu imponitur opus aliquod defunctis applicandum, nam ad hoc pium opus nunc ponendum aliunde non obligatur, quàm ex jussu Confessarii, sic dives, cui injungitur eleemosyna, ad hanc nunc aliunde non obligatur, quamvis generaliter divites ex charitate obligentur; in utroque casu ponens actionem lucratur sibi per opus, ut relatio-

nem dicit ad Sacramentum, cujus pars integralis fit per juſſionem Confeſſarii, aliis autem per miſericordiam, non abſolutè pro tunc obligantem. Actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendi, tanquam maxime meritorii, ſaluberrimè injunguntur, cum per hos actus in ſtatu gratiæ & cum pia attentione exercitos anima immediatè intellectu, & voluntate ad Deum *authorem & conſummatorem ſalutis* ſuæ dirigatur.

Decimo nono. Satisfactionis imponendæ varietatem ſubminiſtrabit temporis circumſtantia, quare ſi incidant feſta myſteriorum Religionis noſtræ, aut beatæ Virginis, aut aliorum Sanctorum, preces quædam in honorem SS. Trinitatis, paſſionis Dominicæ, Ssmæ Matris, aut aliorum Sanctorum perſolvendæ, aut Litaniæ illis Myſteriis vel Patronis accommodatæ injungi poſſunt, vel etiam *ſepties Pater* & *Ave* una cum ſymbolo Apoſtolorum ad mentem ſummi Pontificis recitanda imponuntur, præſertim ſi adſit dies indulgentiarum, quas pœnitens lucrari intendit.

Vigeſimo. Generaliter illæ pœnitentiæ magis ſunt ſalutares, quæ efficaciores ſunt tum ad firmandum de peccatis dolorem, tum ad emendandum, quare pœnitentia ſit contraria peccatis, & apta ad tollendam illorum radicem, ita ut pœnitens in illa materia abſtineat à licitis, in qua perpetravit illicita, contraria enim contrariis magis curantur. Congruum eſt juxta catechiſmum Romanum animam ab inordinatâ converſione ad creaturas ad ſalutarem averſionem reduci.

Vige-

Vigesimo primo. Pœnitentia minui potest propter insignem pœnitentis pietatem, tum ob vehementiam morbi, aut mortis periculum, ubi plerumque supposità contritione, expressio affectuosa SS. Trinitatis, aut sanctissimi Nominis imponi solet, tum denique si pœnitens sit valde contritus; aut adsit prudens timor, majorem pœnitentiam implendam non esse. Salesii utile monitum est: indicare non omittat, ipsum longè graviorem pœnitentiam meruisse, sed eam mitigatam esse, ut eo majore cum humiliate & devotione exequatur.

Vigesimo secundo. Sæpe reincidentibus in eadem peccata præter pœnitentiam absolutam imponenda est conditionalis, ut scilicet toties, quoties in illud peccatum relabuntur, certas preces persolvant, eliciendo prius actum doloris.

Vigesimo tertio. Confessarii respicientis majorem Dei gloriam, & ad infirmorum pœnitentium salutem attendentis conscientiæ est relinquendum, ut illum modum teneat, *quem* juxta Trid. *Spiritus & prudentia suggesserit*, quem in finem assidue exorandus est Pater luminum, ut det ipsi sedium suarum assistricem sapientiam, quæ cum eo laboret, ne forte, cum aliis prædicaverit, ipse reprobus efficiatur, *Tutius* tamen *est*, sunt verba Gersonis 2. Reg. mor. *cum parva pœnitentia, quæ sponte suscipitur, & verosimiliter adimpletur, ducere confessos ad purgatorium, quàm cum magna non adimplenda præcipitare in infernum.*

Vigeſimo quarto. Pœnitentiam proportionatam pœnitens minimè debet contemptui habere, fruſtranea enim eſſet in Confeſſario obligatio imponendi, ſi pœnitens poſſet pro ſuo libitu eam contemnere, & detrectare, ſi tamen (ait S. Franc. Saleſius) interrogatum, *num pœnitentiam lubenter ſit executurus*, *à pœnitentiâ injunctâ averſiorem*, *& nonnihil turbatum videat*, *longè ſatius foret faciliorem imponere.* Si autem deficere omnino animum pro peccatis commiſſis ſatisfaciendi quodam proterviæ indicio patefecerit, abſolutione indignus eſt.

Vigeſimo quinto. Moneat Confeſſarius pœnitentem præcipue rudem, ut pœnitentiam injunctam impleat ante S. Communionem, aut ſi propter injunctæ pœnitentiæ qualitatem, aut per tempus fieri tunc non poſſit, illam impleat, quamprimum id commode fieri poterit, tum quia ſatisfactio utpote pars integralis Sacramenti ſine juſta cauſa ad longum tempus differri nequit, tum quia nimia dilatio eſt ſæpe cauſa oblivionis, præterquam quod ſuboriri poſſit ſpiritualis indiſpoſitio, quæ implementum faciat minùs fructuoſum.

Vigeſimo ſexto. Si conveniens fuerit imponi pœnitentiam aliquot diebus ſucceſſive iterandam, moneatur pœnitens, ut ſingulis diebus illam perſolvere ſatagat, dolorem cum propoſito ante ſingulas vices repetat, ùt ſuprà dictum,

tum, aut ſi uno die illius obliviſcatur, poſtridie defectum ſuppleat.

Vigeſimo ſeptimo. Si pœnitens ſatisfactionis impoſitæ ſit oblitus, interrogare debet Confeſſarium ſuum, ſi hoc non poſſit, ad nihil abſolutè tenetur: neque enim ſuà authoritate ſubrogare poteſt aliud opus, nec illud elevare, ut ſit pars Sacramenti: nec tenetur propterea iterum confiteri priora peccata, quia ab his fuit directè abſolutus, & talis obligatio non poteſt ſatis probari: ſatis itaque eſt accuſare negligentiam, ſi quæ intercurrit. Conſultum eſt, inquit *Laym.* l. 5 Tit. 6. c. 15. ut, qui pœnitentiam præſertim gravem fuit oblitus culpatè vel inculpatè, in proximâ confeſſione ſimilem (nempe talem, quæ pro gravibus vel levibus injungi ſolet) à Confeſſario ſibi injungi petat.

Vigeſimo octavo. Siquis dum Confeſſionale intrat, vel in examine conſcientiæ recordetur ſe necdum perſolviſſe pœnitentiam nuper injunctam e. g. jejunium, aut auditionem Miſſæ pro defunctis, aut aliquas preces, quarum habet certam memoriam, non dimittatur, ut ſatisfactionem injunctam antea perſolvat, ſed interrogetur, an ſoleat differre & factâ monitione ac inſtructione, injunctaque congruâ pœnitentiâ abſolvat paratum ad priorem pœnitentiam, & eam, quæ tunc imponitur, fideliter quamprimum implendam, & ad conſuetudinem illam deinceps vitandam abſolvat. Siquis dicat: diſtu-

li, quia relapſus in peccatum mortale judicavi me debere prius ab eo abſolvi, doceatur, quod ille relapſus non excuſet ab obligatione implendi pœnitentiam, licet impletio in ſtatu gratiæ ſit melior & fructuoſior: & hunc ſibi acquirere poterat per contritionem.

CAPUT XXXI.

QUID AGENDUM CONFESSARIO AD INFIRMUM VOCATO.

Primo. Curandum, ut Sacramenta infirmis neceſſaria non modo valide ſed & licite adminiſtrentur, *etſi* enim, ſcribit rituale Rom, de iis quæ in Sacramentorum adminiſtratione generaliter ſervanda ſunt: *Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſunt, neque à pravis miniſtris eorum effectus impediri, impure tamen, & indigne ea miniſtrantes in æternæ mortis reatum incurrunt*, quare *perpetuo curabit* Eccleſiæ miniſter, *ut integre, caſte, & pie vitam agat.* Hoc bene perpendant Eccleſiæ rectores, qui, etſi nulla contagio Parochiam funeſtet, per apoplexiam, aliumve caſum merè fortuitum neceſſitantur ex officio Sacramenta adminiſtrare, quid autem ſolatii miſer ille, qui cum morte luctatur, & iter ad æternitatem velit nolit aggredi cogitur, Deo vocante ad judicium, quid inquam, ſolatii à temulento Sacerdote exſpectabit? inconditâ vocife-

ciferatione obtundet auditum morientis, & necessariam ad superna cogitanda mentis tranquillitatem deturbabit clamantis ebrietas.

Secundo. Ex diligenti agendæ Archidiœcesanæ, aliorumque librorum lectione sciat Confessarius, quomodo infirmum solari & ad patientiam, aliásque virtutes huic tempori convenientes adjuvante gratiâ excitare debeat; quomodo contra varias tentationes munire, & in fundendis orationibus, atque affectibus eliciendis illum juvare possit, hæc enim, si quasi memoriæ impressa non teneantur, aliam ex assistentia Confessarii non habebit ægrotus utilitatem, præter illam, quæ est ex opere operato, pro ædificatione scandalum circumstantes, nisi admodum cauti fuerint, patientur.

Tertio. Confessarius aut Parochus vocatus, si statum ægrotantis periculosum esse audiverit, remotis omnibus impedimentis ad ædes infirmi decorâ, non autem cursoriâ cum festinatione transeat, curet ex animo, ut ovem sibi commissam leoni eripiat, & Principi pastorum Christo tradat; consideret, quid Deus per Ezechielem pastoribus & speculatoribus negligentibus minetur, etiam quale charitatis obsequium ipse sibi impendi desideraret, si in eo periculo esset.

Quarto. Pastor de ovium suarum salute spirituali sollicitè inquirat, ut sibi quadantenus ap-

plicare poſſit verba paſtoris æterni : *ego cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Animarum curatoribus, dum Sacramenta infirmis adminiſtrant, ſeverè mandant ſtatuta Synodalia, ut nihil omnino titulo ſtipendii exigant, aut quoquo modo efflagitent, cum ex hâc quorundam locorum corruptelâ non pauci, dum malè habent, Parochos accerſere vereantur, ideo intolerabile eſt, quod, dum Sacramenta morientium gratis adminiſtrantur, nihilominus multi hæc divina medicamenta ſibi, aut domeſticis morbo correptis adhiberi tempeſtivè non curent, ſed tunc primùm indicetur paſtori, dum æger mentis impos nihil eorum percipit, quæ aguntur in Sacramentorum adminiſtratione, antea, dum ratio viget, unicè de corporali medelâ ſollicitus; hoc ut providè vitetur, jubent ſtatuta vigilantiam his verbis : *ægrotos diligenter inviſant, nec, donec vocentur, exſpectent ſed ultro accurrant &c.* efficaciter hortentur, ut, dum viget ratio, extrema unctio à periculosè infirmo ſuſcipiatur cum devotione perſonali, quam S. Thomas adeo dicit neceſſariam, ut nulli ſine illâ conferri debeat, ſicut Euchariſtia.

Quinto. Statuta in Tit. de paſtoribus c. 2. §. *ægros ſedulo inviſant* ita præcipiunt: omnibus omnia facti pauperum, viduarum, pupillorum aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerant, eaſque crebro viſitent, ac temporali, ſpiritualique Solatio ſublevent. Quare errant, & rationem ſupremo judici & Paſtori Chriſto Domino reddere debebunt illi, qui ad divi-

tes

tes ægrotos vocati citò & perſæpe advolant, ad pauperes autem vocati jubent contentos eſſe, quod Sacramenta ſuſceperint. Quid dicent tales Chriſto, apud quem non eſt acceptio perſonarum?

Sexto. Ne cura ægrorum ad mortem declinantium ſine fructu ſperatò peragatur, viribus propriis diffidentes miniſtri Chriſti Dei opem ſerio implorent, ut in graviſſimo hoc negotio ægrotum aut vi morbi, aut metu mortis, aut aliis circumſtantiis prementibus turbatum utiliter dirigant, cum Chriſtus Sacramentum extremæ unctionis per formam deprecatoriam adminiſtrari juſſerit, & orationibus Presbyteri efficaciam ſpecialem miſericorditer attribuerit, devotâ præſcriptarum precum recitatione opus eſt, hæc devotio cor infirmi eriget, & *alleviabit eum Dominus*, poterit præterea miniſter hâc vel ſimili prece mentali ſe præparare: *Concede miſericors Deus, ut animam hanc, quam pretioſo ſanguine unigeniti Filii tui redemiſti, hoc extremo momento, ex quo pendet tota æternitas, lucrari poſſim, per eundem Dominum* &c. à multiloquio concionatorio, item à clamosâ vociferatione præſtat abſtinere, & interpolatis vicibus expedit opportunas animæ ad Deum elevationes per verba pauca emphatica proponere. Præcipuè debet contra angorem anima per ſpem Deum videndi, & amore æterno ſe cum Deo conjungendi roborari.

Septi-

Septimo. Quamvis Deus ſingularem animarum paſtoribus concedat fortitudinem, & eos etiam in periculis manifeſtis præſervare ſoleat, humana tamen ſeu naturalia media præſervantia prudenter adhibentur in contagione, talia ex medicorum obſervationibus ſunt ſequentia: curent in cubili ipſius infirmi fieri ſuffitum ex granis juniperi. Januam ante introitum aliquamdiu aperiri jubeant cavendo, ne aërem infectum ex infirmi cubiculo copioſe egredientem attrahant. Deinde

Octavo. Intrantes cubile halitum nonnihil contineant, infirmo præſentes attendant, ne ipſius halitum, aut vaporem, qui motu lecti aut ſtragulæ ſubinde cauſatur, attrahant, ſedeant ad caput infirmi, non inter ipſum & feneſtram apertam. Non deglutiatur ſaliva, ſed ſæpius præſertim ſub initium, modeſte tamen exſpuant, cum ſeu jejunus, ſeu non jejunus, prout neceſſitas popoſcerit, ex contagione infirmum accedere debeat ex officio obligatus ad curam, conſulat medicum loci, quid in utrumque caſum expediat; ſolatium & excitamentum det generoſa charitas S. Caroli Borromæi, qui ſæviente peſte Mediolani quotidie hoſpitalia viſitabat, ſpiritualia & temporalia ægris providebat, & in Synodo palam teſtatus eſt pauciſſimos Sacerdotes, qui tunc officio curæ animarum gnaviter functi ſunt, peſte fuiſſe correptos.

Nono. Confeſſarius ingrediens cubiculum infirmi Agendæ Diœceſanæ ſe devotè conformet dicendo: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*, deinde ægrotum, lectum & cubiculum

lum aspergat aqua benedicta sub his verbis: *Dominus noster Jesus Christus per sanguinem suum, & virtutem hujus aquæ te ab omni malo liberet, & ab hostium tuorum insidiis potenter defendat.*

Decimo. Si infirmum ultro ad confitendum paratum inveniat, & morbus periculosus esse videatur, statim ipsum benigne & patienter audiat, & deficientem paterne adjuvet, de quo infra, dataque absolutione hortetur, ut SS. Eucharistiæ Sacramento refici desideret; ex morbi circumstantiis colliget, an dandum sit hoc Sacramentum non jejuno, & per modum Viatici, insuperque an extrema unctio.

Undecimo. Si ad infirmum veniens periculum mortis non animadvertat urgere, non statim confessionis mentionem faciat, sed infirmum, aut circumstantes interroget de morbo, doloribus, quiete & aliis, de quibus infirmi plerumque loquuntur; sincerum condolentiæ affectum ostendat, dicat, se nunc incolumem, dum manus Domini similiter tetigerit, hoc charitatis obsequium ab aliis exspectaturum, hanc legem nobis esse datam à Deo per Apostolum: *alter alterius onera portate*; agnoscere se, quod facilè sit aliis suadere patientiam, difficillima autem sit ei, cujus corpus doloribus affligitur, sed quia â bono Deo venit hoc malum, quin audeamus interrogare: *quare ita facis*? ex necessitate oporteat facere virtutem. Ostendatur, quod crucem à Deo impositam portare debeat homo, volens nolens, frustra laboret medicus, nisi Deus faveat medicationi, ideo à Deo petendum, ut crucem removeat,

at, tunc autem utiliùs peti, si pharmaca à Christo præparata adhibeamus, suadendum ideo, ut per Sacramentum pœnitentiæ oratio fiat efficacior.

Duodecimo. Si infirmus confessionis dilationem expostulet, Confessarius officiosè suadeat, ut medicum corporalem consulat, an sit febris periculum, si febris metuatur, præveniri expediet morbi vehementiam & dolores animum conturbantes, qui quo magis augentur, eò minùs apta erit animi dispositio, erit ideo tanto instantius petendum, ut confessionem non differat, de quâ peractâ gavisurum esse promittat, cum non possit non oblectare animam, quod, quæ ad spiritualem ejus potestatem pertinent, sint curæ corporis anteposita. Si forsan obstent cognati, & amici, dicantque assentatoriè, esse infirmitatem modici momenti, ut infirmum à confessione tanquam tristi & afflictivo objecto absterreant, & hilariori discursu recreare conentur, eis seorsim explicetur, quod Catechismus Concilii Trid. doceat tales assentatores perniciosissimè peccare contra 8vum præceptum Decalogi: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Decimo tertio. Si confessionem infirmus differat sub prætextu, quod nequeat formare examen requisitum, Confessarius promittat necessariam assistentiam, & motivis opportunis eum suaviter inducat, ut incipiat confiteri, dimidium facti, qui bene cœpit, habet; facilis erit progressus per interrogationes, ut absolutione Sacramentali cœptum opus perficiatur.

Decimo

Decimo quarto. Parochus, dum aliqualiter suspicatur, forsan differri confessionem ob personam Parochi minus ei placentem, aut quia ex aliâ forsan causâ mallet alteri confiteri, dicat, se mature illi Confessarium alium quendam vicinum Pastorem aut Religiosum libenter velle accersere, ut cesset dilatio, & vitetur sacrilega confessio.

Decimo quinto. Nonnunquam contingit aliquem obstinatè à confessione instituenda abhorrescere, tunc Confessarius inquirat hujus aversionis causam, ea vel est indifferentismus nimium prô dolor! nunc ingravescens, vel desperatio ob vitam pessime peractam, & anterior contemptus Sacramentorum, si indifferentismus causa fuerit, aliusve error intellectûs à fide aberrantis, ex Theologiâ error iste depellatur necesse est, verum hoc opus in multis, hic labor erit; si vero pertinacia ex desperatione, quæ vitium perversæ voluntatis est, orta fuerit, proponatur infinita Dei misericordia, quæ Davidem, Manassen, latronem pœnitentem peccatis prostratos erexit, ponatur ob oculos imago Christi pro peccatoribus crucifixi, & quantumcunque delicta multiplicata fuerint, dicatur majorem esse infinitam bonitatem Dei, qui cor sincerè contritum, & humiliatum nunquam despicit.

Decimo sexto. Si infirmus absolutè solus relinqui nequeat, eo quod obstetricis v. g. aut Chyrurgi ope necessario indigeat, aut si duo infirmi in eodem lecto sint, nec separari possint, vel si plures in eodem loco ut tempore

pestis

peſtis decumbant, & mors prope ſit, nec confeſſio fieri poſſit, quin ab alio audiatur neque nutibus, vel per ſcriptionem ſecurè ſe poſſint accuſare, ſufficit, internum dolorem in genere de omnibus mortalibus peccatis commiſſis exteriùs oſtendere, aliqua venialia exprimendo & propter neceſſitatem, abſolutio eſt danda. Si poſtea ceſſet neceſſitas, tales integrè confiteri tenentur mortalia, quia licèt non ſuſpendatur abſolutionis effectus, obligatio tamen confitendi omnia mortalia in ſpecie & numero manet in ſuſpenſo, quamdiu tempore vitæ duraverit impedimentum, reſervatio autem penitus ceſſat, cum ſit juris Eccleſiaſtici, cum peccata mortalia quæ ſine culpâ tacentur, indirectè remittantur per abſolutionem ab his, quæ directè remittuntur tanquam per confeſſionem expreſſa, unum ſaltem mortale, aut veniale qui ſolus confiteri nequit, dicere debet, quia nulla exinde timenda diffamatio, quod e. g. in militari noſocomio miles dicat ſe fuiſſe ſemel ebrium, rixatum, injuſtè aliquod malum grave ſe fuiſſe alicui imprecatum, & generaliter, quod quis leviter alicui detraxerit, nocuerit, mentitus ſit, ergo poteſt, conſequenter debet confeſſio fieri ante abſolutionem coram aliis. Dum multis ſimul mors inſtat per naufragium, abſolutio danda ſimul omnibus ſine ullius peccati confeſſione, quia quid ſinguli dicant, Sacerdos diſtinctè nequit audire. generaliter dicendum, quod in excuſatis requiratur interna hæc diſpoſitio; vellem, ſi poſſem.

Decimo ſeptimo. Confeſſarius nunquam omittat dirigere infirmum periculoſe decumbentem

ut

ut eliciat actus Fidei, Spei, Charitatis, & contritionis perfectæ, cum instante periculo mortis stricta & gravis sit obligatio sperandi bona, quæ per fidem proponuntur, nempe remissionem peccatorum, gratiam, & vitam æternam, & Deum amandi non tantùm, quia hæc nobis libenter dat ex suâ misericordiâ, sed quia Deus est, & propterea summè amabilis. Qualiter actus earum virtutum eliciendi sint, ostendetur in fine hujus operis.

Decimo octavo. Graviter infirmum tempestivè moneat, & moveat, ante vel post confessionem, prout opportunum judicaverit, per tempus, & occasionem, & personæ circumstantias, ut de bonis suis temporalibus legitimum testamentum faciat, videndum ante dispositionem ad causas pias an ex justitiâ sit obligatio restituendi, relinquendi debita alimenta, ne objiciatur illud: *maledicta pietas, quæ destruit justitiam.* Legantur statuta Synodalia de testamentis, ubi salutaria dantur monita, ut providè & sapienter saluti morientium consulatur. Prohibetur ibidem Confessariis sordida captatio hæreditatis in suî, suorumve commodum, suadetur ut commendent causas pias indeterminatè, ita ut Christus sit cohæres in orphanis, & pauperibus, præsertim cognatis indigentibus; penuriâ laborantibus Ecclesiis. Item ut ad præcavendam suspicionem odii amici aliquali legato honorentur, inimicitia publica palam occulta secreto sed animitus dirimatur.

Decimo nono. Parochus administratis Sacramentis, si longior fuerit infirmitas, aliquoties præ-

ſentia ſua ſolatium ægrotanti impendat; confortabit Spirituale colloquium, aut prælectio ex pio libro de imitatione Chriſti aut alio, ad patientiam, & plenam reſignationem & victoriam de tentationibus illo magis, quàm alio tempore molestantibus. Hoc præſertim ruralibus Parochis commendandum eſt, cum domeſtici laboribus ſuis intenti minùs curare poſſint infirmos, & Sacerdotes Regulares non exſtent, per quos Spiritualis aſſiſtentia ſuppleatur.

Vigeſimo. Confeſſionem generalem dum facere cupit infirmus, prudenter Confeſſarius judicet ex ſtatu infirmi aliiſve circumſtantiis, an expediat. Pœnitentia infirmis injungenda eſt ex præcepto divino, ſed proportionata viribus ægrotantium, ut ſupra dictum eſt, maximè utile eſt injungere oblationem dolorum, quos per morbum patiuntur, & Deo volente patientur eo durante, hos jubeantur unire cum doloribus, quos Chriſtus in cruce paſſus eſt pro peccatis noſtris, & dicere verba Chriſti agonizantis: *Fiat voluntas tua.* Non expedit obligare ad opus pœnale recuperatâ ſanitate peragendum.

CAPUT XXXII.

QUID INCUMBAT CONFESSARIO VENIENTI AD INFIRMUM LOQUELA ET SENSIBUS DESTITUTUM.

Primo. Quando pœnitens aliqualiter voce confiteri poteſt, ut abſolutionis ſit capax, confiteri tenetur mortalia, etſi difficilis ſit loque-

loquela, si autem plene fuerit destitutus usu vocis, Sacerdoti nutibus vel pectus tundendo pœnitentiam & confitendi voluntatem ostendat, & tunc, sicut &, si ante Confessarii adventum coram alio desiderium confitendi ostenderit, absolute est absolvendus. Si signa dubia fuerint, sub conditione absolvatur. Verba Rit. Rom. Tit. 18. notanda sunt pro normâ practicâ Parochi, aut Confessarii sequentia: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiat, nutibus & signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcunque in genere vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Benedictus XIV. in Tract. de Syn. l. 7. c. 15. his conformiter dicit: in his omnibus casibus impertiri absolutio debet.

Secundo. Confessarius vocatus ad moribundum Catholicum, qui regulas vitæ christianæ quidem secutus Sacramenta frequenter suscipere consuevit, ast de facto nec dare notatur, nec ante dedisse perhibetur ullum pœnitentiæ signum, non statim eidem, si cum morte nondum luctetur, absolutionem impertiatur, sed cum adstantibus preces ad Deum pro eo fundat, eique actus virtutum Theologicarum & contritionis inclamet, crucem osculandam præbeat, aquâ benedictâ aspergat, ut sic exspectet aliquod signum doloris, debitæque dispositionis ad absolutionem cum fructu obtinendam; imminente tamen morte, etsi nullum signum sive per se, sive per alios ostenderit, absolutionem sub conditione, *si es dispositus*, ei impendi posse docet Joannes Morinus, quem

R 2 Bene-

Benedictus XIV. loc. cit. vocat *celebrem auctorem*, & ejus pro hâc opinione argumentum exhibet, quod anteacta vita christiana, & pia frequentatio Sacramentorum sit testimonium fortius, quàm attestatio super antea declarato desiderio confitendi. Cum eam opinionem laudatus Papa non reprobet, & multi eam ex charitate proximi docendo, & reipsa exercendo sequantur, potest haberi pro normâ practicâ securà Parochorum, quidquid sit de effectu, super quo nulla potest esse certitudo.

Tertio. Quid practicandum sit, si moribundus Catholicus spretis spiritualibus remediis pravæ consuetudini alicujus peccati mortalis notoriè usque ad apoplexiam inhæserit, non potest eâdem benignitate resolvi; negant Morinus & ejus sequaces teste Benedicto Papâ, & merito, quis enim Catholicam fidem concubinario notorio, indifferentistæ sufficere dicat sine ullo pœnitentiæ signo, ut Parochus eum absolvere debeat, quantumlibet intervallum actibus peccaminosis & morti intercedat? Quis de tali prudenter præsumit eum antea per pœnitentiam se ad mortem bonam præparasse, quamvis Catholicus mansisse dicatur? Sacramenta instituta sunt ad salutem animarum supposito usu rationis debitè dispositarum, & dum dispositio præsumi non potest, non arcetur plene formalis irreverentia per appositionem conditionis, tutius ergo erit talem non absolvere. Sed quid:

Quarto. Si aliquis in duello, aut adulterio confossus aut suâ manu lethaliter ex desperatione

ne

ne vulneratus, aut inito certamine, quis potu vini adusti praevaleat, per liquoris copiam cum morte jam instante luctetur, talis moribundus etsi Catholicus caret, uti supponitur, dispositione necessariâ ad recipiendam absolutionem, & sanctitas Sacramentorum poenitentiae, & unctionis postulat, ut ei negentur, cum nihil esse possit, quod sacrilegii labem abstergat. Si vulneratus vel per duellum, vel in flagranti delicto, vel per autocheiriam lentâ morte moriatur, & interim à Confessario Deo miserante moveatur ad poenitentiam taliter, ut à censurâ & peccatis mereatur absolvi, absolvendus est, etsi poenis justitiae vindicativae manere obnoxius, & Ecclesiasticâ sepulturâ destitui possit.

Quinto. Si Confessarius de apoplectico, qui Christiane vixit, & sufficiens poenitentiae signum dedit, vel dedisse praesumitur, dubitet, annon jam obierit, adhuc eum absolvere debet sub conditione, tum quia sic animae saluti, & Sacramenti reverentiae consulitur, tum etiam, quia non raro contingit, revera adhuc eum vivere qui jam obiisse censetur.

Sexto. In dubio, an peregrinus viator, qui sensibus plane destitutus & morti proximus est, nec signum aliquod poenitentiae nec usum rationis ostendit, sit Catholicus vel haereticus, vel judaeus, ita ut hujus veritas haberi nequeat ex Rosario, aut Scapulari, alióve indicio, juxta parabolam evangelicam Samaritani tanquam proximus ex charitate juvandus est quoad corpus, ut viribus quadantenus recuperatis interrogari pos-

 sit.

ſit, & juvari quoad ſpiritualia. Deo, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, per preces commendandus eſt, ut det ejus animo & corpori vires ad ſalutem congruas. Si moriatur in eo ſtatu, ſepeliatur in loco, qui eſt cæmeterio benedicto proximus, in quo infantes non baptizati tumulantur. Si verò conſtet talem moribundum eſſe hæreticum, apoſtatam, & per valetudinem nulla inſtructio poſſit applicari, nihil etiam proponi, ut voluntas mutetur, providentiæ divinæ commendetur, corpori autem medicamenta applicentur, ut viribus eatenus reſtitutis inſtructio, & exhortatio applicari poſſint: aliter agendum cum apoſtata, aliter cum hæretico nationali; apoſtata, quia à verâ fide agnitâ defecit ſuâ perversâ voluntate, reum ſe fecit peccati in Spiritum Sanctum per agnitæ veritatis impugnationem, moveatur charitativè, ut animadvertat prope eſſe illud terribile judicium, eſſe adhuc tempus revertendi per pœnitentiam, ſuppoſitis ſupponendis id eſt ſincerâ deteſtatione hæreſeos, & ſcandali, & aliorum graviſſimorum peccatorum, abſolvatur à cenſuris & peccatis cum vero propoſito, ſi plenariè convaluerit, faciendi omnia, quæ facere tenebitur quoad integritatem confeſſionis, & ſatisfactionem. Si autem ſit hæreticus nationalis, ſicut ſunt, qui ab hæreticis parentibus nati, & educati ſunt, doceatur, quod juxta S. Scripturam ſicut unus Dominus, ita una ſit fides ſalvifica, quod velit, ſi Deus ſanitatem reddat, libenter inſtrui, quid teneamur credere, nunc autem ex animo declaret, ſe velle in eâ fide, quæ ſola vera eſt, mori, oſtendatur virtus ſeu efficacia Sacramentalis abſolutionis &c.

CAPUT

CAPUT XXXIII.

QUÆNAM OBSERVANDA CIRCA COMMUNIONEM INFIRMIS DISTRIBUENDAM.

Primo. Constituti in periculo mortis sub gravi peccato obligantur ad sumendum viaticum Eucharisticum, ut communis est Theologorum doctrina, quare infirmi inducendi, ut mature huic obligationi satisfaciant, præsertim quia per illud gratia bene vivendi & moriendi petitur & accipitur, imo anima Sacro hoc cibo mirum in modum confortatur.

Secundo. Siquis mane celebraverit, aut ex devotione sacram Synaxim sumpserit, & eodem die in periculum mortis incidat, tenetur is juxta aliquos eodem die iterum sumere viaticum, juxta aliquos nec potest, nec tenetur, & juxta alios potest, licet non teneatur, in tantâ Doctorum discrepantiâ Benedictus XIV. Tr. de Synodo l. 7. c. 11. *integrum erit Parocho eam opinionem amplecti, quæ sibi magis arriserit*, quare in praxi id fiat, quod devotio, necessitas, aut aliæ circumstantiæ suadent.

Tertio. Illi tamen, qui post integrum diem, vel post plures dies à communione, quâ sanus refectus fuit, in mortis periculum incidit, viaticum omnino dandum est, ut *in fortitudine cibi illius transeat ad montem Dei*, roboretur contra hostes vehementius in mortis periculo insurgentes, & gratiam beatè moriendi securiùs obtineat,

ſi forſan illa corporis infirmitas erit Deo jubente poſtrema: etiam ad vitandum ſcandalum cavere tenentur dilationem ſuſcipiendi viatici & extremæ unctionis, qui in loco honoratiore ſunt conſtituti, ut Sacerdotes, patres familias, Judices &c horum religio etiam debet per ſolicitudinem de domeſticis eluceſcere, dum periculosè eorum quiſpiam infirmatur.

Quarto. Si infirmus non poſſit refici Sacro viatico jejunus, illo muniendus eſt etiam non jejunus. Si impotentia obſervandi jejunium in diuturno lethali morbo continua permaneat, non ideo abſtinendum eſt poſt viatici ſumptionem à S. Communione, ſed ſæpius refici deinceps poterit obſervato tamen paucorum dierum intervallo, ut de impotentiæ duratione judicari poſſit, nam aliàs ob ſolam devotionem in ægritudine ſacram Communionem petentibus juxta Rituale Pauli V. danda eſt Euchariſtia ante omnem cibnm & potum, adeo ut nequidem per modum medicinæ aliquid ſumere liceat, etſi corpori moleſtum ſit refocillationem retardari. Impotentiæ durationem conſcientioſi medici judicio probatam non evacuat, quod immediatè poſt 12mam nocturnam S. Communio adminiſtrari poſſit, nam ſic hoc Spirituali ſolatio carendum foret omnibus præter Monaſteria virorum, qui mediâ nocte horas Canonicas perſolvunt.

Quinto. Stomachus multorum ægrotantium adeo debilis eſt, ut omnia per modum cibi & medicinæ ſumpta ejiciat, aut ſaltem dubium ſit, dum viaticum petitur, annon Sacras ſpecies ſit rejectu-

jecturus, quo in casu primum danda est particula quædam non consecrata in liquore aliquo, hanc si retineat, eodem modo danda est particula consecrata; si vero non consecratam ejecerit, nullo modo detur consecrata, sed communicandi desiderium cum humili obedientia Deo jam ita volenti offerat, quod est Spiritualiter communicare; offerat etiam denuo anteriores suas communiones Sacramentales, pro quâ Dei miseratione forsan millies, aut multo sæpius repetitâ gratias agat; cogitet etiam, quod multa Sanctorum & Sanctarum millia sine Sacramentali viatico ad cælum iverint cum lætitiâ acquiescendo piis desideriis.

Sexto. Sacerdos infirmo communicare non valenti sacram Eucharistiam nullo modo eum in finem deferat, ut infirmus eam ex devotione adorare, aut osculari possit, Ritual. Roman, hoc prohibet hisce verbis: *Sed alicui ad adorandum solum, seu devotionis, seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum non deferatur.* Quare si infirmus ob aliquod corporis incommodum sacram Eucharistiam sumere non possit, moneatur, ut Spiritualiter accipiat, voto Panem illum Sanctum vivum & vivificum edens, ac fide per dilectionem operante.

Septimo. Si infirmus Sacras species evomuit, & hæc purgari ac sumi non possint, immittantur aquæ in vase mundo, & in eo relinquantur, usque dum dissolutæ desierint esse species panis; aqua illa in Sacrarium mittatur. Pariter siquis statim post communionem evomeret, & species non

apparerent, comburatur, cineres in Sacrarium mittantur.

Octavo. Viaticum in Galliâ totâ denegatur reis ad supplicium ducendis, utcunque desiderantibus, in Germaniâ, & alibi piè conceditur. Prægnantibus partui periculoso proximis, omnibus quoque adituris proximum vel probabile mortis periculum, in quo postea dari non posse prævidetur, cum hi omnes sub gravi obligatione ad illud teneantur; siquis etiam post sumptum viaticum durante eodem mortis periculo in peccatum grave relabatur, ad communionem quidem denuo sumendam non obligatur, cum præcepto satisfecerit, valde tamen suadeatur, ut rursus communicet. Sacrilega communione præcepto isti non satisfieri notum est.

Nono. Viaticum dandum est Catholico adulto, de quo dubitatur, an per morbi vehementiam usu rationis sit privatus, modo hi, qui aliquamdiu cum eo conversati sunt, dicant, se nihil observâsse, unde periculum irreverentiæ metuatur. Si dicatur peccasse mortaliter, & mox usum rationis amisisse, tanquam indisposito denegetur viaticum, usque dum positivo pœnitentiæ signo ostenderit aliquale desiderium, paulatim perficiendum patientiâ & industriâ parochi.

Decimo. Dandum etiam est viaticum semifatuo, sicut & danda communio Paschalis; debilitas animi non infert incapacitatem hujus utilissimi Sacramenti dati ad vitam æternam. Phrenetico, modo alligatus alios cibos admittere soleat, & im-

munis

munis à peccato mortali esse judicetur, pro praxi tamen ad capiendum experimentum prius danda erit hostia non consecrata, & si hanc reverenter sumpserit, detur consecrata, magna interim hic requiritur prudentia Confessarii, quæ attentis circumstantiis dictabit, quid agendum, aut omittendum fuerit.

Undecimo. Si adultus moribundus à nativitate surdus & mutus per signa sufficienter didicerit â consueta corporis refectione discernere hoc, quod jam manducandum præbetur, viaticum, ipsi administrandum est; si verò (qui casus est otiosæ speculationis) simul à nativitate cæcus foret, viaticum illi nullatenus dari debet, hic enim æquiparandus est perpetuo amenti, cui Eucharistia non ministratur.

Duodecimo. Pueris adeo periculose infirmis, ut mox decessuri videantur, ad S. Communionem nondum à Parocho antea admissis dandum est sacrum viaticum, modo illum usum rationis habeant, ut *cibum illum cælestem à communi materiali discernant.* Ita docet Benedictus l. 7. de Syn. cap. 12. tales præcepti divini, & peccati mortalis capaces censentur, ideo multi eorum egent effectu Eucharistici Sacramenti in agone, qui per sanctam innocentiam hoc præservativo non egent, æterno gaudio accidentali hujus manducationis, cujus capaces facti sunt, privari non debent. Jura funeralia ob anticipatam intuitu mortis instantis administrationem Eucharistiæ in sepultura puerorum minimè augenda sunt, sicut quæ à professis regularibus solvuntur, solvi

non

non debent pro his, qui mortis intuitu piè anticipant professionem, ne turpis lucri gratiâ Parochus ætatem antevertisse censeatur, aut præmaturata professio suspecta sit.

Decimo tertio. Ante viatici administrationem ordinariè infirmus, etsi confessus fuerit alii Confessario, interrogandus est, an cupiat confiteri, conscientiâ seu ante, seu tunc per absolutionem Sacramentalem expiatâ detur generalis absolutio SS. Indulgentiis donata pro articulo mortis, postea excitetur desiderium suscipiendi Christum fontem salutis, quæ ad animam, & quæ ad corpus pertinet, illam per hoc Sacramentum absolutè, hanc verò conditionatè esse desiderandam, doceatur paucis verbis: fiant actus Theologicarum virtutum relativè ad divinum medicum præsentem; hisce peractis viaticum administretur, quo ministrato dirigatur infirmus, ut gratias agat per breves affectus, antequam ad Sacramentalem unctionem procedatur, si eodem tempore illud Sacramentum administrabitur. Intra hanc Archidiœcesin Rubricæ libri Pastoralis Diœcesani, seu agendæ Coloniensis anno 1720. publicatæ quoad formam, & modum dandi viatici bene observentur, ne per irreverentiam infirmo, & circumstantibus offendiculo sit Minister, qui consecratus est *dispensator mysteriorum Dei.*

* * * *
* * *
* *
*

CAPUT

CAPUT XXXIV.

QUID OBSERVANDUM SIT, DUM EXTREMA UNCTIO INFIRMIS EST DANDA.

Primo. Infirmo periculosè decumbenti non occultetur periculum, ſed moneatur ad vigilantiam in Evangelio variis parabolis commendatam, ne Dominus imparatum inveniat ſine *veſte nuptiali*, ſine *oleo*, non *præcinctum* ad iter, dicat, prudentiam dictare, quod in arduis periculoſis negotiis præferenda ſit ſecuritas, quod abundantior cautela nunquam noceat, dicat peritiſſimos medicos quandoque falli circa ſtatum morbi, ſolere omnibus ſpem facere, ſed quod ad chriſtianam prudentiam pertineat, judicare, quod medici poſſint falli, & cogitare, quod multi in æternum deplorent ſe nimis facilè medicis credidiſſe: oſtendatur ſingulare beneficium à Chriſto infirmis periclitantibus præparatum per Sacramentum unctionis, cujus effectus eſt, quod in iſto ſtatu amaritudinis pleno dulcedinem gratiæ conferat, animam à peccatorum reliquiis nempe languore, habituali propenſione purget, contra tentationes impatientiæ, vitioſi affectûs ad res mundanas, triſtitiæ roboret, ad recuperandam etiam corporis ſanitatem conducat, ſi profutura ſit ad ſalutem animæ. Recuperatâ ſanitate corporis ingens acceſſio ad merita ex piè ſuſcepto hoc Sacramento, & ſpiritualis lætitia animæ remaneat, eâ autem non recuperatâ iter ad æternitatem fiat expeditius, ſi divinum hoc medicamentum ex opere operato ſeu Chriſti vo-

lun-

luntate efficaciam habens etiam opere operantis id est suscipientis devotione sanctificetur.

Secundo. Si infirmus forsan deprehendat tum vi morbi, tum medici judicio non esse spem sanitatis recuperandæ, spem ad superna attollat; si verò erroneè sibi persuadeat spem reconvelescentiæ per hujus Sacramenti susceptionem imminui, moneatur, ut corrigat perniciosum hunc errorem, & potiùs è contrà unctionem differentibus, aut etiam negligentibus à Deo in pœnam denegari, quod devotâ ejus susceptione fuissent impetraturi.

Tertio. Catechismus Romanus docet eos gravissimè peccare, qui tempus ægrotis hoc Sacramentum conferendi illud extremum observare solent, cum vitâ & sensibus carere incipiunt, quia ad uberiorem gratiam percipiendam plurimum valet ægroti fides, & religiosa voluntas, doceatur itaque dum ratio viget, illud petere, & sub ipsâ inunctione se occupare sequentibus piis affectibus: *Jesu fili Dei vivi miserere mei! propitius esto mihi peccatori! sana me, & sanabor, salva me, & salvus ero* &c. Deinde peracta inunctione æger in fiduciam erigatur, & in spem, si expediat, recuperandi corporis sanitatem, ante omnia tamen ad perfectam resignationem animetur, sicut orabat Christus ad Patrem: *non sicut ego volo, sed sicut Tu.*

Quarto. Extrema unctio illis tantum danda, qui ex infirmitate, aut corporis debilitate in periculu-

riculo mortis verſantur, quare & puerpera tunc dum periculosè infirma eſt, inungi debet, & ſenex, dum notabilis quædam mutatio periculum propinquum annuntiat, etſi certa morbi alicujus ſpecies non appareat. Reus capitali ſupplicio afficiendus non eſt inungendus, nec iturus in prælium aut periculoſam navigationem, nec ille, cui pes aut brachium abſcindetur, quia tales non ſunt infirmi, ſi tamen poſt abſciſſionem pedis aut fortuitam vulnerationem lethalem quis in periculum mortis incidat, extremæ unctionis capax eſt, quia tunc pro periculosè infirmo habetur.

Quinto. Exiſtente eodem morbo, & mortis periculo Sacramentum hoc reiterari non debet, ſi vero morbus mutetur, & periculum deſinat & diu poſtdenuo appareat, reiterari poterit, quando infirmus novo mortis diſcrimini objici à peritis cenſetur. Adultus amens, ſeu phreneticus ungendus non eſt, niſi interdum habeat uſum rationis, & tunc pii animi ſignificationem daret, peteretque; nec pueri, qui nulla peccata admittunt, quorum reliquias ſanare opus ſit, ait Catechiſmus Romanus.

Sexto. Sacramentum hoc valide quidem omnis Sacerdos, aſt extra caſum neceſſitatis licite non niſi Parochus, aut alius Sacerdos, de ejus, vel ordinarii licentia conferre poteſt, in collatione illius per ſe ſeorſim inungenda ſunt organa quinque ſenſuum, aut pars propinqua, ſi unum aut alterum organum deficiat, & adhibenda pro ſingulis ſenſibus peculiaris forma ſenſum exprimens,

mens, observanda sunt, quæ docet Liber pastoralis, seu Agenda ùt suprà.

Septimo. Si periculum sit in mora, ùt in contagione, aut extremo agone & quinque sensus inungi securè non possint, inungi debet frons aut unum aliquod membrum magis obvium vel quod agenda securius censet, si fieri possit, brevissimo motu attingantur omnia organa sensuum, unius oculi, auris, labii, naris, manûs sub formâ hâc; per istas S. unctiones indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum & tactum in N. P. & F. & S. S. Amen. In dubio, an adhuc vivat, ungatur sub hac expressa conditione *si vivis, per istas Sanctas unctiones* &c.

Octavo. Extrema unctio Sacramentum vivorum est, ideo sicut viaticum suscipi debet in statu gratiæ saltem bona fide existimato; *nihil magis ei Sacramento adversatur, quàm alicujus peccati mortiferi conscientia* ait catech. Rom. si quod mortale fuerit inculpabili oblivione ignoratum, remitti facit dolor universalis cum hoc Sacramento, sicut & venialia, quod significant hæc verba S. Jacobi: *Si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ut anima certiùs sit in statu gratiæ, servanda est (ait laudatus Catech.) perpetua Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, ut ante Extr. unctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur. Materia necessaria est oleum olivarum ab Episcopo Benedictum. Lex Ecclesiæ graviter obligat, ut singulis annis renovetur; si ei quantitas deficiat, addatur parum de oleo non

Bene-

Benedicto. Si per errorem chrisma seu oleum Catechumenorum pro oleo infirmorum esset adhibitum, inunctio, si sine scandalo. & gravi perturbatione fieri possit, juxta Synodum Mediol. sub S. Carolo Borromæo quoad materiam & formam erit iteranda.

Nono. Manus Sacerdotum non interius, sed exterius sunt inungendæ juxta Agendam. Præter oculos, aures, nares, labia & manus ungenda superior pars pectoris collo proxima dicendo: *quidquid peccasti per cogitationem* & pedes dicendo: *quidquid peccâsti per incessum.*

Decimo. Catechismus Rom. monet Parochos, ut cum Eccl 7. dicatur: *in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*, memoria autem mortis per extremæ unctionis cognitionem efficaciter suscitetur, sæpe diligenterque explicent, quid fides Catholica de hoc Sacramento doceat. Utile erit generatim hortari, ut dum infirmo danda sunt Sacramenta, ad horum reverentiam locus præparetur, & vicino pauperi succurratur præbendo linteum mundum charitativâ commodatione ad illum sacrum usum.

CAPUT XXXV.

QUIS SIT RITUS ABSOLUTIONIS GENERALIS PRO MORTIS ARTICULO, ET QUALITER A SACRAMENTALI DIFFERAT.

Primo. Ut intelligatur utriusque differentia reflectendum est ad institutionem, & requisita, Absolutionem Sacramentalem praecedit confessio absolutè necessaria lapsis in mortale clavibus nondum rite subjectum; haec insupplebilis est per quamcunque etiam non Sacramentalem. 2*do*: Sacramentalis absolutio fit hoc modo; Post confessionem ait Sacerdos: *Misereatur tuî omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam Amen.* Dein manu dextera versus poenitentem aliqualiter elevata pergit Confessarius: *indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus Amen. Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (Ly *suspensionis* omittitur, si poenitens sit Laicus) *& interdicti, in quantum possum & tu indiges, deinde ego te absolvo à peccatis tuis* (hìc format crucem manu dextera) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, merita beatae Virginis Mariae, & omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, & praemium vitae aeternae. Amen.*

Secun-

Secundo. Quamvis ſpeculative doceatur, notionem eſſentialem hujus formæ determinari per hæc verba : *abſolvo te*, tamen ſub gravi obligatione addi debet : *à peccatis tuis in N. P. & F. & S. S. Amen.* Quæ à S. Synodo Trid. obſcurè denotantur per additionem : *& cætera*, ne, aut explicitè omnia exprimendo vim anterioribus (*ego te abſolvo*) æqualem eſſe definiret, aut penitus omittendo precibus (*Miſereatur* &c. & *Indulgentiam* &c.) æquipararet. Ideo urgente neceſſitate extremâ hæ duæ preces aliaque verba rectè omittuntur, nunquam tamen Sacerdos hoc Sacramentum adminiſtrans acquieſcet his duabus vocibus : *abſolvo te* vel *abſolvo vos.*

Tertio. Forma hæc abſolutè proferatur neceſſe eſt, & quidem abſque conditione ſuſpenſivâ e. g. *ſi inimico condonaveris*, *odium depoſueris*, *aut aliena reſtitueris*, quia ſuſpenſive prolata nulla eſt, cum ab omnibus catholicis Theologis agnoſcatur, certam eſſe traditionem, quod miniſtris ſuis Chriſtus poteſtatem non dederit ſuſpendendi valorem hujus Sacramenti ſuppoſitâ confeſſione vel factâ, vel legitimâ præſumpâ. Abſolutio ſub conditione de præſenti non ſuſpendit virtutem, ſeu efficaciam hujus à Chriſto præparati remedii.

Quarto. Senſus formæ ſupra datæ eſt ſequens : *ego authoritate mibi à Deo data*, *& hac mea judiciali ſententia*, *quantum in me eſt*, *remitto tibi peccata tua*, *vel confero tibi gratiam de ſe remiſſivam peccatorum à te commiſſorum*, ac proinde verificatur forma iſta, etſi quis præ-

vie per contritionem perfectam fuisset justificatus, aut tantùm confessus peccata, à quibus ante modo directè fuerat absolutus. Ratio est, quia lex divina peccatores etiam perfectissimâ contritione detestantes peccata mortalia post Baptismum commissa jubet subire judicium Sacramentale Sacerdotis, si ullatenus poterunt, & damnatæ sunt Bajanæ, docentes *ministerium Sacerdotum absolventium liberare tantùm à reatu pœnæ.*

Quinto. Absolutionem in eadem confessione super eadem peccata repetens graviter delinquit, nisi à mortali excuset perturbatio, aut perplexitas Confessarii, dubitantis, an dormitando formam omiserit. Repetitionem absolutionis quandoque exigit peccatum aliquod mortale, vel circumstantia necessario exprimenda, cujus accusatio fuit omissa; prævio examine, an culpabiliter vel sine culpâ ex oblivione omiserit, si primum, confessio fuit sacrilega, eritque absolutio suppositis supponendis ad novum hoc mortale, & peccata, quæ ante confessus fuit, extendenda; si verò secundum, speciali pœnitentiâ injunctâ pro peccato omisso absolvendus est.

Sexto. Bene hìc advertendum, quod Clemens VIII. sequentem damnaverit propositionem: *Licet absenti Sacerdoti per litteras, seu internuntium peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, qui & præcepit sub pœnâ excommunicationis, ne unquam tanquam aliquo modo probabilis defendatur, aut ad praxin quovis modo deducatur,

ex

ex quo fluit, ne in extremâ quidem necessitate practicandam aut validam esse; quia aliàs Papa non prohiberet pro omni casu exercere judicium Sacramentale super absente reo. At verô siquis æger timeat Parochum non venturum ob præsumptionem scrupulosæ anxietatis, scribat certum aliquod mortale, ut moveat ad transitum difficilem, ac venienti dicat: de eo, quod scripsi, doleo, & peto absolvi, non erit casus Decreti Clementis VIII. cum amisso interim usu rationis de eo esset absolvendus.

Septimo. Cum juxta formam supra propositam facienda sit ante absolutionem à peccatis absolutio à censuris, si forte est moræ periculum, Confessarius omissis aliis dicat: *absolvo te à censuris, & peccatis tuis* &c. hoc interim certum, quod Confessarius à mortali excusari non possit, si sciat pœnitentem subjacere excommunicationi, & tamen illum à peccatis absolvat prius, quam absolutus fuerit ab illa censura, quia per hanc privatur pœnitens usu Sacramenti, ad cujus gratiam obtinendam per absolutionem à censuris prius habilis reddi debet.

Octavo. Antequam Confessarius pœnitentem confessum absolvit, formet sibi judicium moraliter certum, seu expers rationabilis dubii, quod iste sit rite dispositus ad absolutionem, dum evidens periculum moræ advertit, norma practica tuta est: melius est dare absolutionem forsan profuturam, quàm ideo negare, quia forsan non erit profutura.

Nono. Forma absolutionis authoritative, non deprecatorie est proferenda, quia Sacramentum pœnitentiæ à Christo institutum est per modum judicii, & absolutio Sacramentalis per modum sententiæ judicialis, ut certa traditione constat innixâ Christi verbis Joan. 20. *Quorum remiseritis. . . quorum retinueritis. . .* Ex his liquet compendiaria notitia absolutionis Sacramentalis, agendum nunc paucis de absolutione generali.

Decimo. Benedictus XIV. anno 1753. Archiepiscopo nostro Clementi Augusto facultatem dedit per Presbyteros sæculares, aut regulares ab Archiepiscopo deputandos, eorumve subdelegatos impertiendi benedictionem Apostolicam Pontificis pro tempore existentis cum plenariâ omnium peccatorum Indulgentiâ in articulo mortis.

Undecimo. Concessa est hæc gratia pro omnibus Civitatis, & Archidiœcesis Colon. ægrotis morti proximis verè pœnitentibus & confessis & S. Communione refectis, si id facere nequiverint, saltem contritis nomen Jesu invocantibus, si ore non possint, devoto corde; & mortem alacriter ac patienter de manu Domini tanquam stipendium peccati suscipientibus.

Duodecimo. Archiepiscopus per suum Vicarium generalem deputavit Parochos, Confessarios Monialium, & qui eorum vice funguntur in curâ animarum.

Decimo tertio. Formam S. Pontifex præscripsit sequentem: Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℞. Qui fecit cœlum, & terram. Ne remi-

reminiscaris Domine delicta famuli tui (ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus, Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Et ne nos inducas &c. Sed libera. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam.) ℟. Deus meus sperantem in te. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscnm. Et cum spiritu tuo. *Oremus.* Clementissime Deus Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in Te credentem atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, & spes Christiana commendant, visita eum in salutari tuo, & per unigeniti tui Passionem & mortem omnium delictorum suorum ei remissionem & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs sui Te judicem propitiatum inveniat, & in Sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Dicto ab uno ex astantibus: *Confiteor*: Sacerdos subjungat: *Misereatur* &c. Deinde: Dominus noster Jesus Christus Filius Dei vivi, qui B. Petro Apostolo suo dedit claves ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & restituat tibi Stolam primam, quam in baptismate recepisti, & ego facultate mihi ab Apostolicâ sede attributâ Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum tibi concedo; in nomine Patris &c. per Sacrosancta humanæ reparationis mysteria remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, & futuræ vitæ

pœnas, paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen. Benedicat te omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Decimo quarto. Patet ex his, quantum hæc abſolutio à Sacramentali differat, cum abſolutio hæc in articulo mortis præſupponat culpæ lethalis remiſſionem per Sacramentum, & ſicut aliæ omnes Indulgentiæ ſpectet pœnas temporales peccatorum mortalium, falluntur ergo, qui hâc contenti ſe ſine confeſſione & abſolutione Sacramentali credunt ſalvari poſſe.

Decimo quinto. Parochi omnes monentur, ut ſæpius de Cathedrâ vim & utilitatem, & modum hujus abſolutionis doceant ſubditos ſuos, ut dum ſani ſunt, tempeſtivâ Sacramentorum confeſſionis & viatici ſuſceptione ad incomparabilis hujus theſauri participationem ſe diſponant.

CAPUT XXXVI.

DE SIGILLO SACRAMENTALI.

Primo. Confeſſarius officio ſuo debitè perfunctus fructum bonum ſui miniſterii totum Deo, non ſuo ingenio attribuat, ſæpe oratione devotâ ſuos pœnitentes Deo commendet, cogitetque ſe cum illis aliquando coram judice Chriſto ſtaturum. Cum ipſis impoſterum agat, ac ſi peccata eorum prorſus ignoraret, quia illa non ſciviſſet, niſi fuiſſent manifeſtata propter Chriſtum, tum quia immun-

dus

dus habendus non eſt, quem Chriſtus ſuo ſanguine purificavit. Quod vivens & moriens à ſuo Confeſſario exſpectat, hoc ipſe præſtet aliis.

Secundo. Strictiſſime ſervetur ſigillum Sacramentale, nequidem in genere de auditis in confeſſione unquam loqui præſumat, Siquod conſilium ſibi neceſſarium judicet, ſumma opus eſt prudentia, ut tale conſilium non niſi à pio. & ſatis exercitato petatur; caveat inſimul, ne indirecte quidem prodat peccatum pœnitentis, & coram ſæcularibus de his, quæ ad confitendi modum varium rudibus uſitatum pertinent, omnino taceat, quamvis enim non violetur ſigillum, tamen ſæculares hæc audientes merito ſuſpicantur, Confeſſarios memoria retinere peccata audita, & forſan in ſuo confitendi modo aliquid ſimili criſi perſtringi, & ſic confeſſio odioſa fieri poſſet.

Tertio. Maxime ab obligatione celandi audita in confeſſione & ab obligatione reverentiæ erga hoc Sacramentum recedunt illi, qui uſque adeo in conviviis, aut ſympoſiis non verentur riſum cauſare narrando, quæ in confeſſionibus audierunt, aut modum, quo delicta quidam confeſſi ſunt; ſciant ſancta ſanctè eſſe tractanda, pejus erit, ſi præſentibus nota fuerit praxis ridicula, quæ narratur, aut addendo locum, & diem, quo iſta peccata perceperunt, poſſit occaſio conjecturis dari.

Quarto. Obligationem ſigilli Sacramentalis inducit omnis & ſola confeſſio Sacramentalis, in

qua à pœnitente peccata aperiuntur coram Confessario, ut absolutionem obtineat, etsi nolit restituere alienum, deponere odium; ideoque absolutio tanquam indisposito denegari debeat, si autem confessio fiat cum expressâ declaratione intentionis contrariæ, quod scilicet non veniat ad Sacramentaliter confitendum, sed ut ad peccatum sollicitet Confessarium, aut secretè alloquii occasionem habeat, obligatio sigilli non resultat propter defectum confessionis Sacramentalis. Si quis putato Sacerdoti bonâ fide confiteatur, talis secreto naturali strictissimè obligatur, cujus violatio æquiparatur violationi sigilli & quoad culpam, & quoad pœnam propter intentionem confitentis.

Quinto. Omnia peccata sive præterita, sive præsentia, sive illa, quæ ad confessionem rite instituendam diriguntur, & in dicta confessione audita fuerunt, sicut & pœnitentis defectus sub sigillum cadunt, mortalia quidem in genere & in specie, venialia autem saltem in specie, adeo ut sigillum non frangat, qui dicit Titium confessum fuisse peccatum aliquod veniale, frangit autem qui dicit, quod Titius plura venialia sit confessus.

Sexto. Obligatio sigilli deducitur ex jure naturali, & divino, sicut enim Christus stricte obligavit fideles ad integram omnium peccatorum etiam internorum confessionem, ita pariter ex parte Confessarii voluit perpetuam, & strictissimam sigilli obligationem, adeò, ut pro nullo unquàm casu sigillum hoc infringere liceat.

Septi-

Septimo. Revelans aliquid ex confessione sive directe, sive indirecte, semper peccat tripliciter, contra Religionem propter irreverentiam illatam Sacramento, contra fidelitatem ob tacitam promissionem secreti servandi, contra justitiam ob injustam diffamationem; secunda & tertia malitia potest esse venialis ex parvitate materiæ, non prima religioni opposita; quia per minimi etiam peccati manifestationem Sacramentum fit odiosum, quæ est irreverentia gravissima.

Octavo. Pro majori sigilli custodia Confessarius apud alios mentionem non faciat de virtutibus & dotibus determinati pœnitentis, in aliqua limitatâ communitate, ita ut audientibus detur occasio judicii comparativi e. g. si Parocho rurali plures scabini confiteri soleant, & unus solus distinguatur elogio justitiæ emphatico, de cæteris taceatur. Otiosa recordatio peccatorum in confessione auditorum, maxime quæ concernunt materiam veneream, dissipetur pio recursu ad Deum, ne laqueum tentationis sibimetipsi injiciat, Nunquam de peccatis accusatis loquatur cum pœnitente, nisi ex causa ipsum pœnitentem concernente expressam illius obtinuerit licentiam. Denique

Nono. Confessarius nunquam utatur scientia ex confessione accepta si ex usu talis scientiæ confessio possit fieri odiosa, id enim illicitum esse declarat damnatio sequentis propositionis facta ab Inquisitione Romanâ anni 1682. quæ sic sonat: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione,*

tione, aut gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non usu sequatur id eſt, quod liceat tunc cum gravamine pœnitentis, quando Confeſſarius hunc multò magis gravaret non utendo illâ ſcientiâ. Certè non foret omnimoda ſecuritas pœnitentibus, ſi penes Confeſſarios ſtaret judicium comparativum inter gravamen ex uſu & gravamen ex non uſu talis notitiæ. Omnino igitur omne gravamen abeſſe debet, ſicut certè abeſt, ſi Confeſſarius eâ notitiâ utatur ad ſtudendum materiæ peccatorum accuſatorum e. g. uſuræ, Simoniæ, luxuriæ, & ad orandum pro ſalute alicujus pœnitentis.

CAPUT XXXVII.

IN QUO PROPONUNTUR REMEDIA CONTRA PECCATA CAPITALIA.

Ad præcavenda peccata capitalia, per ſectiones ſequentes ſalutaria media præſcribuntur, quæ Neo-Confeſſario utilia & neceſſaria erunt. Quare ſit.

§phus Primus.

REMEDIA CONTRA SUPERBIAM ADHIBENDA

Primo. Media propria, quæ Confeſſarius ſuperbiæ contraponat, ſunt ſpeciales conſiderationes, quibus frequenter homo miſeram ſuam conditionem, & vilem ſtatum debet agnoſcere, quia ſuperbia inordinatus eſt appetitus propriæ excellentiæ, nempe dum homo

vel

vel ſibi attribuit, quæ Deus dedit, & omni momento tollere poteſt, & propterea ſe aliis præfert; vel appetit reputari, quod habeat, quæ non habet.

Secundo. Confeſſarius ſuperbo exponat, quod cum aliis hominibus, quibus ſe præfert, communem habeat conditionem, quantum ad corporis, vilem materiam multis miſeriis ac tandem morti ſubjectam, & à vermibus conſumendam; & quantum ad animæ, ignorantiam, propenſionem in vetita, concupiſcentiam, & debilitatem, & quanquam impiorum facinorum, quæ à multis aliis patrantur, non ſit reus, ſicut ille, qui dixit: *Non ſum ſicut cæteri, velut etiam hic publicanus*, ſordibus tamen divino conſpectui manifeſtis forſan mereatur à Deo juſtè reprobari potiùs, quàm illi propter Evangelicam ſententiam terribilem: *Cui multum datum eſt, multum requiretur ab eo.*

Tertio. Oſtendatur, quàm ſtolidum ſit ſe ſupra alios extollere propter natales, propter talenta ingenii, memoriæ, & bona, quæ fortunæ vulgo appellantur, propter officium àliquod honorificum, favores potentum hujus mundi, ſi perpenditur illud: *quid habes, quod non accepiſti, ſi autem acceperis, quid gloriaris?* eſto hæc jam habeas, ſed uſquequo? *vidi impium*, inquit David, *exaltatum ut cedrum libani, tranſivi, & ecce non erat.* Antiochus exemplo ſit proſperitate ſubito abruptâ *decidit in lectum præ triſtitiâ, quia non accidit ei, ſicut cogitabat, & periit in terrâ alienâ*, 1. Machab. c. 6.

Quarto.

Quarto. Proponatur, quàm luculentis exemplis Deus *humilibus det gratiam*, id quod hymnus *Magnificat* Beatæ Virginis Mariæ demonſtrat, verbis ſancti Evangelii docemur, eum *qui ſe exaltat*, eſſe *humiliandum*; contra, *qui ſe humiliat*, *exaltandum*.

Quinto. Reflectendum eſt curatori animarum, variè peccari per ſuperbiam in omni genere mortalium. Apoſtolus dicit 1. Tim. 6. *Si quis non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens.* ſed *languens circa quæſtiones* & *pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones.* Item: *divitibus hujus ſæculi non ſuperbe ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.* Item: *nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* Non igitur hic morbus eos ſolos afficit, quos ſcientia inflat, & quos copia bonorum terrenorum collidit per æmulationem invidioſam, ſed & ruricolas, & opifices, imo & mendicos, dum amore proprio infatuati ſpernunt conſilia pacifica, & mandata ſuperiorum, dum cibo, potu, veſtitu ſuæ conditionis limites à Deo conſtitutos tentant tranſilire; quin & ipſos actus virtutum, & Sanctos labores poteſt hic morbus inficere.

Sexto. Maxime ad ſuperbiam reprimendam conducunt humilitatis exempla, quæ in Sanctis, & præſertim in Chriſto Domino eluceſcunt. Paucis annis virtutem hanc per ſermonem Salvator noſter nos docuit, ſed exemplo conſtanter à primo ſuæ Conceptionis momento uſque ad

mor-

mortem crucis ut *ſapientiam ſapientum* hujus mundi *confunderet.* Ad humilitatis exercitium tota ejus vita mortalis nos invitavit, ſicut dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Corde inquit, ne juxta hujus ſæculi damnatam prudentiam fuco externæ manſuetudinis, & humilitatis acquieſcamus,

Septimo. Superbus Deo ſe facit turpi ſua ingratitudine exoſum, quia initium omnis peccati eſt ſuperbia, & mater vitiorum eſt omnium, ideo inter peccata capitalia primum; neque Deo tantum ſe facit ſuperbus exoſum, ſed ipſis etiam ſuperbis, quanquam enim ſimilis ſimili gaudere dicatur, odit tamen ſuperbus ſuperbum, utpote ſuo appetitui contrarium, alia multa vitia ſocietate foventur, ut patet in ebrioſis, luxurioſis, furibus, religionis contemptoribus &c.

§*phus Secundus.*

REMEDIA CONTRA AVARITIAM.

Primo. Confeſſarius ut ex animo pœnitentis avari evellat avaritiæ radices, turpitudinem ejus oſtendat ex verbis Chriſti, qui docuit neminem poſſe ſimul *Deo & Mammoni ſervire*, ideo Apoſtolum *avaritiam idolorum ſervituti* comparare; ſicut guloſis *ventrem Deum* eſſe dixit, ita avaris divitias eſſe inſtar idoli, quia ad acquirendum res terrenas non corporis tantùm ſanitas, ſed æterna etiam ſalus animæ quaſi immolatur, & ad conſervandum res acquiſitas à debitis operibus miſericordiæ abſtinetur.

Secundo. Si eò uſque urgeat auri fames, ut turpis lucri gratiâ quidlibet temerè tentetur, mortaliter peccatur. Plures propoſitiones damnatæ de ſtipendiis Miſſarum & Conſtitutiones papales oſtendunt S. Sedis vigilantiam contra hoc vitium, Benedictus XIV. de Syn. l. 5. c. 9. ait: *Quis non crederet tot ſalubres Conſtitutiones Sacerdotum avaritiam refrænaſſe, nihilominus ſcimus ſufficientes haud fuiſſe ad eam cohibendam.* Præter *turpe mercimonium quorundam, qui Miſſarum eleemoſynas, ubi liberalius* conſtitutæ ſunt, *quæritant,* & alibi, ubi *minor in uſu* eſt, Miſſas celebrari faciunt, notat *pravam avaritiæ ſpeciem, quâ Confeſſarius eleemoſynas Miſſarum ſibi à pœnitentibus erogari curat,* & profert S. Caroli Borromæi inſtructionem: *Cum pro pœnitentiâ Miſſas injunxerit, ſibi, aut Eccleſiæ ſuæ, aut Monaſterio dicendas, non addicat,* Ritualis Romani, & ſacræ Inquiſitionis ordinationibus probat, *Eccleſiam à qualibet hujuſmodi avaritiâ abhorrere, eamque velle, ut Sacerdotes Sacramentorum miniſtri ab omni illius ſuſpicione ſint immunes.*

Tertio. Cum prætextus parſimoniæ, & modeſtiæ clericalis ac tenuitatis reddituum opponatur ad avertendam notam avaritiæ, oſtendendum erit, quod intentio finis non ſufficiat, ſed media etiam debeant eſſe congrua honeſtati, ſeu Clericus ſeu Laicus ſit, pro conditione ſuâ rationabile medium debeat tenere inter prodigalitatem, & avaritiam. *Qui volunt divites* fieri (ait Apoſto. 1. Tim. 6.) incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, *& deſideria multa inutilia, & nociva; quæ mergunt homines in interitum, radix*

enim

enim omnium malorum eſt cupiditas. Tu autem o homo Dei hæc fuge. Avaritiæ damnum demonſtrat infelix Judæ exitus, & Simonis magi lapſus, & apoſtaſia *docentium, quæ non oportet, turpis lucri gratiâ*, pſeudo Apoſtolorum, primorumque hæreticorum.

Quartò. Notandum eſt, ſæpe temerè ex frugali menſâ, modeſto amictu quorundam opulentorum judicari, quod avaritiæ ſint rei, licèt præter juſtitiam officia charitatis, ac miſericordiæ promptâ cum voluntate exequantur; ad avaritiæ ſordes fugiendas minimè opus eſt luxu, & vanitate, ſed juſtitiâ, & charitate, *divitibus hujus ſæculi præcipe, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum* ſcribit Paulus Timotheo. Hæc qui facit, avarus dici non poteſt. S. Jacobus illos divites iubet *ululantes plorare, quorum divitiæ*, quibus indigentes paſcere poterant, *putreſiunt, & veſtimenta à tineis comeduntur.*

Quinto. Ne corda divitum divitiis, quas poſſident, affixa teneantur, non ſolum pietate & miſericordiâ ſed inſuper aliarum quarundam virtutum moralium, quas S. Thomas prolixè explicat, exercitiis avaritiæ tentatio vincitur, & amor pecuniæ prudenter temperatur, tales virtutes ſunt, magnificentia, liberalitas, magnanimitas, eutrapelia, monet tamen, perſonarum, temporis, loci, & modi circumſpectam conſiderationem habendam eſſe, cum non omnibus divitibus omnia per ſe licita æqualiter congruant & ſumptus pares in uno laudem, in alio æquè

opulento vituperium mereantur per unum honestè facti, per alium vitiosè.

Sexto. Maxime à vitio isto absterrebit memoria mortis certæ, & horæ illius incertæ, cogitetur evangelica sententia: *Stulte hâc nocte repetent animam tuam à te, & quæ parasti, cujus erunt?* bonis copiosis sine labore potitus hæres forsan prodigè fruetur. Per Salomonem, & Syraciden Spiritus Sanctus hanc avari stultitiam pluribus sententiis expressit, & tamen inde usque nunc per annorum millia stultorum talium infinitus est, eritque numerus.

Septimo. Denique, qui curatoris animarum scopus esse debet, cor avari per amorem pecuniæ depressum ad inæstimabilia, ac incorruptibilia bona in æternum duratura erigere conetur, ut Deo adjuvante dicere possit cum S. Gregorio: *Si consideremus, quæ & quanta sunt nobis promissa in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris.* Cur insanâ cupiditate homo per avaritiam se torqueat, dum juxta Christi promissionem fideliter *quærenti Regnum Dei adjicienda sunt cætera.* Verè David dixit: *juvenis fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.*

§phus tertius.

DE REMEDIIS CONTRA INVIDIAM.

Primo. Confessarius pœnitentes illos de invidiæ peccato examinet, quos superbiæ reos esse animadvertit; sicut enim Dæ-

mon

mon omnium maxime superbia intumescit, ita summe lividus est, cujus invidiâ (Sap. 2.) *Mors introivit in orbem terrarum*; ac proinde, quos ad superbiam incitat, eosdem pariter invidos facit, dum sibi, aut affectatæ supra unum, aut plures præcellentiæ metuunt per ejus, aut eorum prosperitatem, patrocinia, æstimationem, lucra, quæ ab opulentis conductoribus operarum sibi comparant, unde etiam fit, quod, sicut prosperis eorum, quibus invident, eventibus turbantur, ita adversis eorum casibus lætentur, & quidem tanto vehementiùs gaudeant, quanto eisdem illi casus sunt damnosiores.

Secundo. Optimum erit, si Confessarius invidis præter nocumentum supernaturale invidiæ naturalia damna ostendat, quibus torquetur & corpus, & anima solius invidentis, non autem ejus, cui invidetur, sicut vermis intra lignum natus ipsum lignum, unde productus est, consumit. Siquid prosperitatis obtingat proximo, nec prodes favendo, nec noces invidendo, sed, si faves, Deum habes testem benevolæ charitatis, si autem invides, testem tuæ malevolentiæ, sic tibi & quidem soli prodes, aut noces. Si meritus non erat, providentiam Dei adora, cujus judicia semper justa. Æmulari alterius opificis, aut mercatoris industriam, ut similiter emptores allicias, non est invidia. Non favere certæ personæ v.g. alicui Cardinali Papatum, Principi Episcopatum, Regi victoriam non est invidia, si alterius felicitas apprehendatur suæ spei adversa, sive sit pro suâ persona, sive pro suâ

familiâ, ſuo ordine, ſuo patrono, cum tunc reflectatur ad exiſtimati proprii commodi imminutionem.

§*phus quartus.*

DE REMEDIIS CONTRA LUXURIAM.

Primo. Homini chriſtiano ſufficere poſſet pro antidoto contra turpiſſimum hunc animæ morbum revelata in ſcripturis Sanctis ultio divina per diluvium, aliaſque punitiones particulares Pentapolitarum, Sichemitarum, Benjaminiticæ tribûs &c. imò ſi (ſeclusâ revelatione ſola ratio attendatur) innatus homini pudor validum cenſeri poſſet repagulum contra carnis nequitiam, ſed quia prima inter luxuriæ filias eſt cæcitas mentis, quæ facit videntes non videre, quod per lumen revelationis, & humanæ rationis oſtenditur, & infernali caligine Samſones, Davides, ac Salomones obtenebrat, indicanda ſunt media particularia divinitùs tradita, aut à ſapientibus excogitata, quæ ſanctus Ecclesiæ Doctor Bonaventura in fine Libri de profectu Religioſorum piè doctèque congeſſit. Ea ſunt ſeptem 1*mum*: Sedula vitatio conſortii fœminarum Eccleſiaſtici 42. *à veſtimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri, halitus diaboli facit prunas ardere* Job 4. carbones conjuncti ambo incenduntur, carbo ſolus extinguitur. 2*dum* Remedium à S. Bonaventurâ aſſignatum eſt cauta ſocietatis, & contubernii libidinoſorum vitatio. Prov. 19, *Qui ſe jungit fornicariis, erit nequam, & amicus ſtultorum efficitur*

citur similis illis. Exemplo, & persuasione illicietur ad libidinem, quia proni sunt sensus hominis in malum, inde in proverbium transiit: *noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se.* 3tium docet esse repressionem corporis à delicatâ nutritione, *castigo corpus meum* (scribit Apostolus Corinthiis 1. c. 9.) *& in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Salomon ait Prov. 19. *Qui delicatè nutrit servum suum in juventute, postea sentiet eum contumacem.* Ezech. 16 *iniquitas Sodomæ saturitas panis.* Inde notus versus Terentii: sine Baccho & Cerere friget Venus. 4tum dicit esse fugam otii. Eccl. 34. *Multam malitiam docuit otiositas.* S. Bernardus ait: omnium tentationum & malarum cogitationum sentina est iners otium. 5tum assignat idem S. Doctor assiduam sensuum ab illicitis custodiam. Eò refert verba Jeremiæ 9. *Ascendit mors per fenestras vestras,* nempe mors peccati per organa sensuum, dum audiuntur, leguntur obscœna, picturæ scandalosæ spectantur. Item Thren. c. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus urbis meæ.* Sicut expertus est David videndo Uriæ uxorem, Judices senes videndo Susannam, Holofernes Juditham, & ante hos mulier ægyptia castum Joseph. Sancti Gregorii salubre est monitum: non expedit intueri, quod non licet concupiscere. Avertendi oculi, ne videant vanitatem. 6tum remedium S. Doctoris est interior pravarum cogitationum & carnalium affectionum repressio. Eò spectat sententia Christi: *de corde exeunt cogitationes pravæ, adulteria, homicidia, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ,*

hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Si intra urbem sint proditores, exteriora munimenta urbem non liberant. Salomon ideo monet: *Omni custodiâ serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* Etiam Deus per Isaiam: *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Denique 7*timum* à S. Bonaventurâ assignatum est devotio animæ, & frequens oratio: *scivi* (ait Salomon) *quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det.* Ideo rogandus semper est Dominus, ut *faciat medium fornacis quasi ventum roris flantem*, sicut fecit in fornace Babylonis. Deus impossibilia non jubet, neque sinit tentari suprà, quàm possumus, sed humiles preces exigit, his Deì gratia, & per gratiam victoria obtinetur certissima.

Secundo. Orationi corporis afflictio jungatur per jejunia, aliamve mortificationem, ut caro *crucifigatur* cum *concupiscentiis suis*, quia *hoc genus Dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione & jejunio*; & quia, si desinit anima carni servire, ad sanctam servitutem Dei, ad opem divinam impetrandam magis disponitur.

Tertio Valet ad vim libidinis opprimendam maxime frequens confessionis & Eucharistiæ usus, est enim confessio salutaris piscina, ad cujus aquam motam miseri peccatores curantur, à quacunque detineantur infirmitate, & Eucharistia *frumentum electorum est, ac vinum germinans virgines.* Gustata suavitate superni Spiritus amara est omnis dulcedo, quam carnis concupiscentia propinat. Apostolus Galatas docet cap. 5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis*, quo

Spi-

Spiritu ipſe repletus *omnia arbitrabatur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret.*

Quarto. Curatores animarum cautè diſcernant affectum erga fœminas rationalem, ſenſualem, & carnalem. Rationalis certè eſt, aut qui à ſpirituali intentione ſalutem animæ impertiendi, promovendi procedit, talis erat converſatio Chriſti cum fœminis Luc. 8. *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis, & infirmitatibus Maria Magdalene, Joanna uxor procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant Chriſto de facultatibus ſuis, erant cum illo, & duodecim diſcipulis*; nobiles illas divitesque mulieres Chriſtus non repulit, Chriſtum in hoc imitatos eſſe Apoſtolos conſtat ex c. 9. ad Gal. ubi ait Apoſtolus: *Nunquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem* (id eſt fide conjunctam) *circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? aut ego ſolus, & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* Sic S. Hieronymus cum ſanctis nobiliſſimis mulieribus piè converſatus rationalem affectum monſtravit, ſed conſtanter caſtus timor Domini obſtare debet, ne paulatim affectus rationalis ad ſenſualem carnali propinquum deflectat, & conſcientia intus convicta exprobret, quod Galatis Paulus: *Sic ſtulti eſtis, ut, cum Spiritu cæperitis, carne conſummemini?* id eſt: poſt pulchra initia turpiter continuetis mente mutatâ.

Quinto. Attendere diſcant, & doceant Eccleſiæ miniſtri ad ea, quæ S. Jacobus de linguâ loquitur cap. 3. *Lingua ignis eſt, univerſitas ini-*

iniquitatis, id eſt facilè ad libidinem, iram incendit, multorumque peccatorum cauſa eſt. *Linguam nullus hominum domare poteſt:* S. Auguſtinus bene infert: ergo confugiamus ad Dominum, qui domat linguam noſtram. Apoſtolus Paulus ad Epheſ. 5. Speciatim præcipit: fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, ſicut *decet Sanctos* (id eſt Baptizatos) *aut turpitudo*, *aut ſtultiloquium*, *aut ſcurrilitas*, *quæ ad rem non pertinet.* Generatim docet: *corrumpunt bonos mores colloquia prava*; inde religionis, & honeſtatis contemptus, ac depravatio.

Sexto. Luxurioſus ſæpius cum timore Domini cogitet præſentiam Dei omnia intuentis. Cogitet, quam debilis ſit fides eorum, qui, quod coram quocunque honorato homine non auderent, attentant temerè coram Deo, quem ſciunt eſſe præſentem, & quia Deus eſt, non poſſe non punire hanc temeritatem, cum, ſiquis ſuo Regi in faciem illudat, juſtitia vindicativa pœnam inferre debeat reo læſæ Majeſtatis. Accedit, quod cum Ethnici verum Deum non agnoſcentes vitii hujus fœditatem ſolo pulchræ honeſtatis impulſu deteſtati ſint, eò illud ſit deteſtabilius Chriſtianis.

Septimo. Tandem ad caſtitatem debet impellere ſententia Chriſti: *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* Matth. 5. & felicitatis futuræ prodroma ſerenitas mentis, & *pax*, *quæ exſuperat omnem ſenſum*; oriturque ex conſcientiæ teſti-

teſtimonio, & ex contemplatione pulcherrimæ illius virtutis. His omnibus prævalere debet, quod anima chriſtiana, quæ viliſſimo carnis oblectamento delectatur, amando, quod Deus vetuit amari, incapacem ſe faciat implendi *primum & maximum mandatum*: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ anima tuâ, & ex omnibus viribus tuis.* Dum vult amorem carnis à Deo infinitè amabili vetitum conciliare cum amore Dei; qualem juſſit, & ſummo ſuo jure exſpectat.

Octavo. Si hæc omnia fruſtra ſint, & peccator ſuis fœditatibus inſordeſcat, relinquendus eſt divinæ providentiæ cum ſpe emendationis ſecuturæ, *quis ſcit, annon poſtea convertatur*, etſi tunc, dum verè pertinax eſt, abſolutionis capax non ſit; igitur ſuſpendat Confeſſarius abſolutionem, &, ſi nihil aliud obſtet, ſuadeat, ut talis matrimonium ineat, cum ſit *melius nubere quàm uri.*

§phus quintus.

DE REMEDIIS CONTRA GULAM.

Primo. Vitium gulæ ſi Confeſſarius deprehendat in pœnitente, oſtendat mala, quæ ex hoc peccato ſunt orta; gula Evæ generi humano ruinam attulit, Loth vir alioquin juſtus per ebrietatem ad geminum inceſtum prolapſus eſt, exempla Iſraelitarum in deſerto, dum *ſedit populus manducare, & bibere*, Salomonis, aliorumque per ebrietatem ad idololatriam, aliaque peccata lapſorum; oſtendat incom-

moda per vitium gulæ atque ebrietatis causata, & usque ad finem mundi causanda.

Secundo. Proponatur, quod celeriter voluptas hujus peccati transeat, & vix duret, quamdiu editur & bibitur. Memoria perceptæ per gulam voluptatis eo debet esse molestior, quo plus exinde corpus affligitur per infirmitates à gula causatas. Huc pertinet non incongruè sententia: *quantum in deliciis fuit, tantùm date illi tormenti & luctûs.* Infirmitatibus specialibus Deus hoc vitium punit, tales sunt: *suffusio oculorum* Prov. 23. hydrops, podagra, febres, præsertim in opificibus, rusticis, & quibuscunque ad conjugem, & prolem nutriendam obligatis, qui per ebriositatem se faciunt ad alimenta iis procuranda invalidos, & tunc culpa hujus peccati aggravatur, estque circumstantia speciem mutans, cum addat distinctam specie malitiam. Idem dicendum de his, quibus officia periculosa obtingunt e. g. pastoris, belliducis, medici, receptoris pecuniarum &c.

Tertio. Confessarius admoneat ebriosos, & gulosos, *quorum Deus venter est*, ut attendant ad verba Salomonis Prov. 23. *Noli esse in conviviis potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt.* Cui væ, cui rixæ, cui foveæ? nonne *his, qui commorantur in vino, & qui student calicibus epotandis. Ne intuearis vinum, cum splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber.*

Quar-

Quarto. Pœnitens etiam examinari poterit circa quinque gulæ ſpecies, quas adſignat B. Gregorius, inter illas prima eſt, excedere nimio cibo & potu, quod familiare Sodomitis erat. Secunda, præceps in accipiendo cibo aviditas, qualis fuit illa Eſavi in lentis edulio. Tertia, dum ſumptuoſior & magis delicatus cibus exquiritur, ùt factum eſt ab Iſraëlitis, qui, dum manna nauſeabant, importune carnes Ægypticas poſcebant. Quarta, dum cibus vel potus capitur obſtante lege, voto, aut juramento, ùt Jonathas mel comedebat. Quinta, nimia ſollicitudo in comparando, & condiendo cibo, etiam ab ethnicis prudentibus vehementer improbata, qualis fuit Sacerdotum filiorum Heli, & *ſplendidè quotidie epulantis* divitis evangelici. Adverſus has ſpecies prædicta remedia utiliter adhibentur.

Denique quinto. Advertendum eſt ebrioſis, quod ſe inebrians non tantum ſe *comparet jumentis inſipientibus*, *& ſimilis fiat illis*, ſed & vilior fiat, cum in brutis obſervetur, quod naturali inſtinctu equus, canis, aves ſumpto cibo, & potu ſufficiente renuant cibum potumque ulteriorem.

§phus ſextus.

DE REMEDIIS CONTRA IRAM.

Primo. Ira prout eſt animi affectio movens ad *corripiendum*, *arguendum cum imperio*, ad puniendum, dum ratio exigit, bona eſt, imo peccaretur ejus omiſſione, cum patientia ſeminet vitia, negligentiam nutriat, & non

non ſolùm malos, ſed etiam bonos invitet ad malum ut ait S. Chryſoſt. apud S Thomam. Sic Chriſtus iraſcebatur exercentibus mercatum in loco ſancto. S. Petrus Simoni mago, S. Paulus Elymæ S. Joannes Cerintho. Pſa. 4. legitur: *iraſcimini*, & *nolite peccare*, talis congruit ſuperioribus, dum ſubditos, & communiter parentibus, dum liberos inobedientes, nec benigno hortatu emendabiles experiuntur; ejus omiſſione Heli periit, & multi ſuperiores, ac parentes perierunt, & peribunt.

Secundo. Ira per judicium rationis non temperata ſemper eſt mala, pejor ſi juſta cauſâ deficiat. *Vos Patres* (ait Apoſtolus ad Epheſ. 6.) *Nolite ad iracundiam provocare filios veſtros*, ſed *educate illos in diſciplinâ*, & *correptione Domini.* Salomon Eccleſ. 7. monet, ut vitetur motus ſubitus iræ, *ne ſis velox*, inquit, *ad iraſcendum, ira enim in ſinu ſtulti requieſcit*; id eſt non regulata per prudentiam. Neque ſit pertinax, quod lex charitatis non permittit. Propterea monet Apoſtolus Epheſ. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Magiſtri ſui doctrinæ conformiter: *Vade priùs reconciliari fratri tuo.*

Tertio. Advertendum eſt, quod accuſans ſe fuiſſe iratum interrogandus ſit, an cogitatione tantùm, an etiam verbo, cum extra prorumpens ira præter ſcandalum per hoc, quod alter laceſſitus fuerit, vel ira ejus aucta fuerit, cauſet contumeliam, percuſſiones, læſiones in bonis, aliquando etiam imprecationes, blaſphemias, permanens odium, & averſionem.

Quarto.

Quarto. Pœnitens, qui odium inimici, à quo graviter ſe læſum dicit, accuſans vindictam & ſatisfactionem judicialem deſiderat, docendus eſt, quod Chriſtus non popoſcerit vindictam à Patre, ſed veniam rogaverit in cruce, poſſit tamen ſalvâ charitate urgeri, ut reparetur damnum, ſatisfiat honori, ſi autem ſalus publica exigat à Judice punitionem publicam, læſus permiſſivè ſe habeat vindictam poſitivè non urgendo, nec de eâ gaudendo. Oſtendatur iræ aſſuetis, quod maledicentia, contumeliæ, exprobrationes, imprecationes hominum ſe invicem ex irâ & odio mordentium ſint ſigna prænuntia miſerrimi ſtatûs damnatorum in inferno, *ubi ſempiternus horror inhabitat*, contra verò quod reciproca benevolentia, pax, charitas, & amabilis conjunctio ſinceræ amicitiæ ſint ſigna prognoſtica ſupernæ feliciſſimæ *civitatis domeſticorum Dei*, qui perpetuò *delectabuntur in multitudine pacis*; *beatos* ideo Chriſtus vocat *mites*, *quoniam ipſi poſſidebunt terram*, *terram viventium*, ad quam non pervenitur, niſi evangelico Chriſti præcepto obediatur: *Diſcite à me*, *quia mitis ſum*, *& humilis corde*, *& invenietis requiem animabus veſtris.* Stolidè errat, quisquis putat per contentiones, & pugnas verborum poſſe inveniri mentis tranquillitatem. Semper miſer eſt rixator, ſeu vincat, ſeu vincatur

§phus ſeptimus.

DE REMEDIIS CONTRA ACEDIAM.

Primo. Acedia eſt nauſeabunda mentis affectio circa divina debitumque Deo obſequi-

ſequium, tædium bene operandi quarumcunque virtutum actus eſt commune, non autem ſpeciale peccatum, ſed quatenus opponitur gaudio de ſervitio Dei, eſt diſtinctum peccatum, de quo Apocal. 3. *Quia neque calidus es, neque frigidus incipiam te evomere es ore meo.* Tales frigidi ſunt, qui quidem Deo ſerviunt ponendo actus præceptos, ſed cum moleſtiâ, & ſine ullâ ſpirituali curâ fervoris & gaudii.

Secundo. Homini valde nocivum eſt vitium iſtud, cum cauſet ingratitudinem, & contemptum divini favoris & faciat opera virtutum ſterilia, & ad merendum inepta: *hilarem datorem diligit Dominus*, talis ille non eſt, qui cum tepiditate & negligentia manum quidem ad *aratrum applicat*, *ſed continuò reſpicit retrò*, non curans, quomodo Deo debitum opus perficiat, talem reciprocè nauſeat Dominus, ideoque uti placuit metaphorâ vomentis, ſeu *incipientis evomere.* Quis herus non faſtidiat ſervum, à quo ſpretis ſuis favoribus liberaliſſimè quotidie præſtitis faſtidioſe ſibi ſervitur?

Tertio. Pro ſcrupuloſorum directione advertendum eſt, quod per defectum gaudii de ſervitio divino non ſemper peccetur peccato acediæ, ſed tunc ſi conſenſus rationis accedat, id eſt, ſi homo teporem ſuum animadvertens non curet reſiſtentiam, etiam Sanctiſſimi talem experiuntur varietatem, qualem S. Paulus, qui aliquando dixit: *ſuperabundo gaudio*, aliquando *eum tæduit vivere.* Piæ animæ ſufficiat ſincerum deſiderium *ſanctificandi nomen Dei* cum petitione

tran-

tranquillâ: *fiat voluntas tua.* Deus pro præmio virtutis promisit gaudium in cœlo, liberaliter concedit hìc illius prægustationem, quando & cui vult. Conari contra tædium pertinet ad militiam spiritualem, quæ ad mortem usque durabit. Motus acediæ (ait S. Thomas de acediâ) quandoque in solâ sensualitate est propter repugnantiam carnis ad Spiritum, & tunc est peccatum veniale.

Quarto. Parum prodest generatim quoad omnia officia vitæ Christianæ hortari animas ad vitandum torporem, speciatim ad præcipua reflectendum est, ut in Sacramento Eucharistiæ suscipiendo tepor fugiatur, remotis per accuratam confessionem impedimentis & nunquam frigidâ mente SS. Sacrificium offeratur. Christus Dominus, *qui ignem venit mittere in terram*, eumque voluit in cordibus nostris incendi, dixit: non omnis qui dicit Domine, Domine, *intrabit in Regnum cælorum*, sed qui facit voluntatem Patris æterni, non facit autem, qui perinde habet, quomodo faciat.

Quinto. Ad laborem pro Deo læta mente suscipiendum quemlibet excitare debet invitatio suavissima Christi: *Venite ad me omnes, qui laboratis, ego reficiam vos, jugum enim meum suave est, & onus meum leve*, perpendatur refectionis æternitas. Consideretur labor indefessus illorum, qui propter honores, opes, & voluptates cito transeuntes nulli labori parcunt, nullum metuunt periculum, Apostolus monebat Romanos à vanitate mundi, & idololatriâ conversos: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immanditiæ,*

&

& iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Rom. 15.

§phus octavus.

INSTRUCTIONES QUÆDAM PRO PRÆDICTORUM REMEDIORUM ASSIGNATIONE.

Primo. Dicta remedia Confessarius pœnitentibus pro qualitate delictorum & personarum ad emendationem obtinendam præscribat ad usum salutarem & circumstantiis congruum.

Secundo. Si pœnitens materiam occurrentem intelligere præsumatur, magis verò si ipse munere Confessarii fungatur, utile erit eum accusatione Sacramentali se reum declarantem hortari, ut ipsemet illa remedia amplectatur, quæ alteri in æquali casu, & iisdem circumstantiis præscriberet. dicat deinde, eum pro sua prudentia hoc suasurum, quod tunc proponere incipiet. Hi, de quibus ea intelligentia non præsumitur, opportunè interrogandi sunt.

Tertio. Multa & diversa remedia, super peccatis capitalibus assignata cum non congruant omnibus indiscriminatim, quæ ex his proponi expediat, Confessarii prudentia, divino Spiritu suggerente dijudicabit, sed in progressu confessionis, quantum fieri potest, per Confessarii interlocutiones interrumpendæ, peccatorum natura, & circumstantiæ diligenter attendantur, con-

confeſſione peractâ fiat indagatio pro neceſſariâ informatione, & breviter agatur de remediis.

Quarto. Ut per quandam præparationem pœnitens ad ſupernaturalem dolorem de turpibus peccatis manuducatur, poteſt naturalis pudor excitari e, g. quid, ſi Deo permittente ad notitiam publicam hæc impudicitia, hoc furtum perveniſſet? ſubjungatur, quod ideo dolere nullius apud Deum ſit momenti ad gratiam per Sacramentum obtinendam; erigatur ad turpitudinis ſupernaturalis cognitionem, quod pulchritudinem ex infinitis Chriſti meritis in baptiſmo collatam ſponte perdiderit per unum peccatum mortale, & ſtatim potuerit à Deo mitti ad infernum, alius per fidem in cœlum, alius per fidem in infernum tranſeat, ut pro opportunitate ſeu ſpes, ſeu timor ſupernaturalis moveat peccatorem. Sed doceatur inde ad optimi maximi Dei ſanctitatem & amabilitatem omnia, quæ per ipſum, & ex ipſo amabilia ſunt, infinité tranſcendentem aſcendere, ,ut aliquatenus diſcat, quid ſit Deum eſſe ſummum bonum, omnis boni, quod vel eſt, vel cogitari poteſt, authorem, & quid ſit talem tantumque offendiſſe.

Quinto. Ut Confeſſarius ſe faciat expeditum ad opportuna unicuique pœnitenti media proponenda, lectioni librorum Spiritualium aſſueſcat, in quibus remedia ſuperius indicata & plura alia memoriæ ſuæ imprimenda copiosè occurrent, ſic pro diſcrimine pœnitentium ſciet ordinare medicamenta, ſicut medici extra tempus contagionis providè ſe præparant ſtuden-

do, quid tunc oporteat fieri, dum talem miseriam immittit populo Dominus.

Sexto. Ad extirpanda peccata pœnitentis Confessarius scelerum radicem sedulo investiget, hanc si invenerit, præscribat media, quæ profutura esse rationabiliter sperat, sicut medicus corporalis statum morbi ignorans utilem medicinam præscribere non potest, ita nec medicus spiritualis.

Septimo. Si pœnitens congrua media necessario præscribenda acceptare, aut adhibere recusset, velut indispositus sine absolutione est dimittendus, quia in illo deficit animus emendationis, cum intendens efficaciter finem etiam debeat velle media necessaria ad eundem obtinendum.

Octavo. Si quidam semel tantùm in anno circa tempus paschale brevem in magno pœnitentium concursu confessionem faciant, gravibus peccatis per majorem, aut certè notabilem anni partem irretiti, fundatam faciunt suspicionem defectûs necessariæ integritatis per voces: *ferè, circiter, dubito.* Confessarius dicat satis non esse, quod legi annuæ confessionis utcunque obediatur, sed prædictum defectum timendum esse homini de salute suâ debitè sollicito, cum examen conscientiæ sit difficilius propter temporis diuturnitatem, si autem pœnitens assereret, diligenter se latebras conscientiæ discussisse, interrogandus, an in anterioribus annis semel tantùm confiteri sit solitus, & an assueverit peccatis

propo-

propoſitis in confeſſione e g. impudicitiæ, furti, ſicut tenetur reſpondere ſuper conſuetudine ſemel annuatim confitendi, ita tenetur ſuper conſuetudine tale peccatum committendi, & dum fatetur ſe remedia à Confeſſariis anterioribus præſcripta non adhibuiſſe, ſine abſolutione dimittatur cum ſalutari opportuna inſtructione, ad quid teneatur, cum nulla ſit ſpes emendationis, niſi ſe melius præparaverit. Si pœnitens reponat, ſchedulam communionis paſchalis postulandam eſſe poſtridiè, cum tunc ſit ultima dies temporis paſchalis, Confeſſarius, ſi proprius paſtor eſt, prolonget tempus ad ſolemnitatem Aſcenſionis, vel Pentecoſtes, vel Corporis Chriſti, prout expedire judicaverit; ſi autem non eſt Paſtor, pœnitens à Parocho ſuo petat dilationem per ſuum ordinarium Confeſſarium limitandam prætexendo negotium, aut forſan inſtituendum breve iter, ut præſcriptis & adhibitis remediis ſignum emendationis ſperatum oſtendi poſſit, quia omnino neceſſarium eſt providere, ut Sacramentum hoc licite & valide adminiſtretur, & per invalidam confeſſionem nullatenus ſatisfieri poteſt præcepto annuæ confeſſionis.

Nono. Tandem Confeſſarii non ſint nimis rigidi, nec nimis benigni; Sciant cum Apoſtolo *compati infirmitatibus* & *ut omnes*, qui ſe eorum Sacramentali judicio ſubmittunt, *lucrifaciant*, *his omnibus diſcant omnia fieri*; cervicoſos cum imperio arguere, puſillanimes erigere, patienter informare ignorantes, normam practicam Theologiæ conſtanter ſequi. Sicut in rigore ita in benignitate exceſſus facile committi poſſunt, uter-

que ſcopulus vitabitur, ſi cum timore Domini, & fiduciâ in ejus auxilio ſequantur normam practicam ſanctorum Caroli Borromæi, & Franciſci Saleſii ac approbatorum Theologorum, qui ſuadent magis ad benignitatem quàm ad rigoroſam auſteritatem eſſe inclinandum. Si fefellerit bonam Confeſſarii intentionem fraus, & mendax hypocriſis pœnitentium, *ipſi quidem peribunt, veruntamen Confeſſarius ſalvabit animam ſuam*, ùt de paſtoribus loquitur propheta. Sufficit Confeſſario tunc teſtimonium conſcientiæ ſuæ, quod ſic benignitatem non ſuæ prudentiæ innixus, ſed bonam regulam ſecutus ad honorem Dei, & animarum ſalutem converterit, nec volens nimia facilitate diſciplinam chriſtianam relaxare, nec exceſſivo rigore pœnitentes propellere ad deſperationem. *Transferendi non ſunt termini, quos* Prov. 22. *poſuerunt Patres* noſtri ſanctiſſimi, & doctiſſimi practici. Væ autem *canibus mutis non valentibus latrare.* Væ *conſuentibus pulvillos ſub omni cubitu manûs.* Væ *alligantibus onera gravia, quæ portari non poſſunt.* Hæc ſunt, quæ pro inſtructione Neo-Confeſſarii congeſſi, tum ut muneri ſuo ſatisfaciat, tum ut fidelium ſaluti intentus in omnibus quærat honorem Dei, qui eſt ultimus laboris noſtri finis.

CAPUT

CAPUT XXXVIII.

IN QUO TRADITUR INSTRUCTIO PRO OBTINENDIS LITERIS DISPENSATIONUM SACRÆ POENITENTIARIÆ.

Primo. Pœnitentem, qui Papæ diſpenſatione, aut abſolutione indiget, Confeſſarius explicatâ delicti gravitate hortetur, ut interim, dum à ſacra Pœnitentiaria facultas opportuna expectatur, per frequentes contritionis actus, piaſque preces ad dignè recipiendam abſolutionem, ſeu diſpenſationem ſeſe præparet.

Secundo. Si verò ex Sacramentali confeſſione Confeſſarius deprehendat, pœnitentèm indigere diſpenſatione, ut in matrimoniali ſocietate quoad habitationem & thorum permaneat, Confeſſarius illum impedimenti non conſcium in bona fide relinquat ob periculum incontinentiæ moneatque ſolum, ut congruo tempore redeat, dum ipſe interim neceſſariam diſpenſationem eſt procuraturus.

Tertio. Notet Confeſſarius ſummum Pontificem ſuper omnibus impedimentis juris Eccleſiaſtici de plenitudine poteſtatis diſpenſare poſſe, ſed certos limites authoritate Papali fixos eſſe S. pœnitentiariæ omnino ſtrictè obſervandos, qui ex conſtitutionibus, & praxi curiæ Romanæ innoteſcunt; quæ autem ſit praxis curiæ, ex Canoniſtis & Theologis ſecure colligitur. Com-

muniter hi ſentiunt à S. Pœnitentiaria non diſpenſari in impedimentis conſanguinitatis, & affinitatis provenientibus ex copula licita, & cognationis ſpiritualis, etiamſi cauſa ſit occulta. In impedimentis autem affinitatis ex copula illicita occultâ provenientibus diſpenſari, tam pro contracto, quam pro contrahendo matrimonio, etiam ab eâ diſpenſari in impedimento ſuperveniente, ad effectum petendi debitum conjugale; quod impedimentum tamen Epiſcopus etiam tollere poteſt. Quoad impedimentum conſanguinitatis occultum matrimonio jam contracto (excepto primo, & ſecundo gradu) diſpenſat, item ſi ſuper impedimento conſanguinitatis in tertio, aut quarto gradu diſpenſatio per Datariam obtenta ſit, ſed poſtquam ejuſdem vigore matrimonium initum eſt, deprehendatur ejus nullitas propter ſubreptionem, vel obreptionem occultam; nullitas autem inde orta manſerit occulta, S. Pœnitentiaria diſpenſat, ut matrimonium poſſit revalidari. Si fuerit falſo narratum præceſſiſſe copulam, quæ reipſa non præceſſit. Si copula ante diſpenſationem habita ſit notoria, debet exprimi in Datariâ, etſi non agatur de præjudicio alicujus e. g. deſerendo imprægnatam.

Quarto. Si diſpenſatio Apoſtolica ſuper quodam gradu prohibito obtenta fuerit, non expreſſa copula inter ſponſos ſecuta, & occulta, aut præſtito falſo juramento, quod non fuerit habita copula ex intentione faciliùs impetrandi diſpenſationem, debet ſincerè manifeſtari in ſupplicâ, ut pœnitentiaria diſpenſet, ſeu pro matrimonio contracto, ſeu pro contrahendo. Ne

ſup-

ſupplicans in damnum æternum animæ ſuæ mentiatur, debet non obſtante confuſione ſincerè aperire veritatem, quando omiſſum fuit, quod dici debebat. Ille, ad quem dirigitur commiſſio, debet diligenter, hoc eſt circumſpectè quoad circumſtantias ſe informare, quantum fieri poteſt ſine proſtitutione reorum ad ſcandalum evitandum.

Quinto. In ſupplica pro diſpenſatione à Datariâ, aut Cancellariâ obtinendâ exprimuntur nomina, & conditio, quâ attentâ decernitur, an in formâ pauperum, an erga taxam pecuniæ ad cauſas pias à ſummo Pontificè applicandæ expediendæ ſint literæ Pontificiæ. In pœnitentiariâ autem exprimuntur nomina ficta, ſed, ut ſciatur, quorſum diſpenſatio mittenda ſit, nomen ejus, cui mittenda diſpenſatio, & locus debet verè exprimi. In eâ expeditiones fiunt gratis, ideò nihil dicitur de conditione ſupplicantis, ſed dici debet qualitas actûs, ſuper quo petitur diſpenſatio, & quod non devenerit ad notitiam publicam, neque ſit periculum divulgationis impedimenti.

Sexto. In impedimento criminis S. Pœnitentiaria diſpenſat, ſi intervenit fides, & promiſſio de matrimonio contrahendo, cum adulterio, neuter autem machinatus fuerit. Supponitur, quod caſus debeat eſſe occultus, & quod non valeat pro foro externo, tam pro contrahendo, quam pro contracto matrimonio. Papa ex plenitudine poteſtatis nonnunquam occurrente gravi quadam cauſâ diſpenſat etiam ſi uterque, aut

alteruter machinatus fuerit omnino occultè, ſed pro foro interno tantùm. Omnino ſuadendum, ut ſtatuta Synodalia, & Agenda nova Colonienſis legantur à Parochis quoad diſpenſationes matrimoniales, & formulas ſupplicationum tum Coloniæ, tum Romæ faciendarum, ubi atteſtatum Reverendiſſimi Domini Vicarii Generalis ad fidem Parochorum ſupplicationibus faciendam neceſſarium eſt.

Septimo. Diſpenſat etiam S. Pœnitentiaria ab irregularitate quacunque ex delicto, quod infamiam inducit. Si verò ſit ex delicto occulto (præter homicidium voluntarium) diſpenſare poteſt Epiſcopus; non autem, ſi occultum ſit in uno loco, notorium in alio. Si dubia ſit irregularitas, relaxare poteſt Epiſcopus, ſicut in caſu dubii voti, impedimenti matrimonialis, cenſuræ. Item dum ex longâ dilatione per recurſum ad curiam Romanam grave ſcandalum ſequeretur, ut fieret in Parocho, aut Clerico exemplariter emendato.

Octavo. Modus, quo diſpenſationes obtinentur, iſte eſt. Supplex libellus ad Eminentiſſimum Cardinalem Majorem Pœnitentiarium mittitur in forma Epiſtolæ, latino, ut fieri ſolet, idiomate diſtinctè exponens factum cum omnibus circumſtantiis neceſſariis, & præſertim quod caſus ſit occultus; cum S. Pœnitentiaria non diſpenſet niſi in caſibus occultis, & pro foro conſcientiæ tantùm. Suppreſſis pronominibus petitur diſpenſatio, ſeu abſolutio, prout caſus exigit, per modum exempli ſint ſequentia formularia:

EMI-

EMINENTISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE.

N. Mulier emisit votum simplex perpetuæ castitatis, & manet in periculo incontinentiæ, nisi nubat, supplicat sibi votum commutari ad effectum matrimonii.

EMINENTISS. ET REVERENTISS. DOMINE.

N. Vir cum N. cujus antea sororem carnaliter cognoverat bonâ fide & ignorans impedimentum vel ex fragilitate carnis, & cognito impedimento, quod adhuc est occultum, contraxit matrimonium in facie Ecclesiæ, ideo humillimè supplicat pro absolutione & dispensationis remedio Apostolicâ Authoritate misericorditer concedendo, vel prout in Agenda Colon. cui etiam se conformet petendo responsorias exprimendo quorsum petitæ gratiæ documentum mitti cupiat.

A tergo vero epistolæ obsignatæ, in qua continetur prædictus supplex libellus:

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DD. COLENDISS. D. CARDINALI MAJORI POENITENTIARIO ROMÆ.

In supplicationibus, quæ ad Datariam diriguntur, pro casibus publicis inscriptio fit summo Pontifici, nempe: Sanctissimo in Christo Patri ac Domino Pio VI. divinâ providentiâ Ecclesiam

universalem feliciter gubernanti: & intus; beatissime Pater. Responsione ultra tempus solitum dilatâ repetatur petitio, quia cum certissimè in S. Pœnitentiariâ respondeatur, signum est literas fuisse deperditas.

Nono. Accepta responsio statim accuratè est exequenda per ipsum, cui data est commissio sine arbitrariâ interpretatione e. g. si ad Juris can. aut Theologiæ Doctorem directa sit, debet is, ad quem literæ pervenerunt, eam præsentare Confessario dicta qualitate insignito, licèt alius esset ibidem doctior, sed non pollens tali titulo academico.

Decimo. Executor tenetur examinare diligenter, num vera sint exposita, & conditiones, sub quibus fuit concessa dispensatio, seu absolutio, nam debitè omnes impleri necesse est.

Undecimo. Dispensatio, seu absolutio non potest concedi, nisi in actu Sacramentalis confessionis; cum non prosit, nisi fiat modo præscripto & pro foro tantum conscientiæ. Casus occultus erit, si non fuerit notorius, vel ad forum contentiosum deductus, etiamsi aliqui de eo notitiam habuerint, e. g. duo aut tres vel etiam aliquanto plures, dummodo prudenter judicari possit de consciis, quod ex irâ, malevolentia non sint divulgaturi; si verò contrarium foret moraliter certum, abstineri debet ab executione.

Duodecimo. Si postea quoquo modo detegeretur impedimentum, conjuges deberent separari,

rari, donec à Dataria obtineretur dispensatio: interea tamen clam, & citra scandalum actus conjugales exercendo non peccarent, cum pro foro interno sint dispensati.

Decimo tertio. Si contracto matrimonio ambo conjuges impedimenti fuerint conscii, atque dispensatio petita sit; monendi sunt à Confessario conjuges, ut secreta fiat revalidatio præstando novum consensum. Si verò alteruter tantùm ejusdem impedimenti sit conscius, si absit periculum scandalosi discessûs in damnum prolis, quæ propter bonam fidem unius reputatur legitima, informetur altera pars de nullitate matrimonii, sed ita caute, ut delictum non pandatur. Atque ad hoc maximè Confessarius attendat, ut pœnitenti modum suggerat, quo is cum altero conjuge se se gerere debeat, ut sine manifestatione, aut suspicione delicti novum ab eo consensum ad revalidationem matrimonii omnino necessarium faciliùs & securius obtineat. Huncque in finem circumstantias personarum diligenter considerabit, & Dei auxilium implorabit, ut rectum consilium, quo scandalorum pericula submoveantur, subministret. Cum certa regula universaliter dari non possit.

CAPUT

CAPUT XXXIX.

IN QUO TRADITUR INSTRUCTIO OBTENTAS LITERAS DISPENSATIONUM SACRÆ POENITENTIARIÆ EXEQUENDI.

Notantur hic aliqui casus, ex quibus norma pro cæteris quoque desumi potest. *Primo*. In executione literarum super dispensatione, seu relaxatione obligationis ad votum perpetuæ castitatis Confessarius imprimis diligenter examinabit, an verè subsistat causa expressa, & si compererit fidem adhibendam esse asserenti frequentes lapsus per incontinentiam, audiat confessionem ipsius pœnitentis; dum agitur de voto simplici religionis ob contractum matrimonium violato, pœnitentem moneat, quod mortuo conjuge novum matrimonium contrahere non possit, & stante matrimonio ad castitatem conjugalem teneatur, si voverit castitatem, quia ad castitatis virtutem se Deo obligavit, ita Benedictus XIV. Instit. 87. Pœnitentia salutaris, uti in hujusmodi rescriptis præcipitur, est imponenda, eaque non tamen valdè onerosa, sed ad longius tempus, ut fructuosa sit & ad finem intentum accommoda personæ. Imposita etiam pœnitentiâ pro peccatis in confessione explicatis, absolutionem in forma consueta impertiatur, eaque finita subjungat: *Insuper authoritate Apostolica mihi specialiter delegata Te non obstante voto religionis, quod alias emisisti, in matrimonio remanere, & debitum conjugale ex-*

exigere, & reddere poſſe declaro. In nomine Patris. Si votum ſit caſtitatis, variatur formula, dicendo: *non obſtante voto caſtitatis.* Pœnitentia vero injungatur, quæ, quantum fieri poteſt, voto reſpondeat; quod in omnibus votorum diſpenſationibus in alia pia opera commutantibus obſervandum eſt. Moneri hic quoque pœnitens debet, quod mortuo conjuge votum caſtitatis ſervare teneatur, cum diſpenſatio ſolum id operetur, ut in præſenti matrimonio licite permanere poſſit.

Secundo. In exequendis literis ſacræ Pœnitentiariæ quoad matrimonialia, curet Confeſſarius, ut primum removeatur, ſi adſit, occaſio peccandi, dein vero imponat pœnitentiam, opportunâ monitione adhibitâ, ne fiat ille, cui gratia diſpenſationis eſt præſtita, ingratus Deo, & Eccleſiæ, à cujus lege fuit miſericorditer exemptus, eoque ferventius opera pœnitentiæ peragat, orationem, aut jejunium feria Sextâ, aut Sabbato per aliquot menſes, frequentationem Sacramentorum, eleemoſynam, & excitetur, ut vitam chriſtianam juxta ſui ſtatûs conditionem ſollicitè impoſterum & dignos fructus pœnitentiæ peragat. Matrimonio malâ fide attentato, moneatur pœnitens, ut nec petat, nec reddat debitum, antequam mediante diſpenſatione, & conjugii revalidatione ſit permiſſum, quia ob malam fidem ſupponitur certitudo, quod nec vir ſit maritus, nec fœmina ſit uxor. De dubitante aliud dicendum, quod nempe ſtante probabilitate ex unâ tantum parte, altera pars nequeat ſine gravi incommodo privari ſuo jure, dum aperiri nequit

dubi-

dubium, erit ergò tunc minus malum exponere se periculo fornicationis, seu incestûs, quàm privare conjugem justè petentem. Revalidatio non requirit (supposito quod coram Parocho & testibus contraxerint, & impedimentum irritans manserit occultum) denuo præsentiam eorum, non requirit etiam manifestationem criminis, aut causæ infamantis, dicitur enim in literis pœnitentiariæ: *ita cautè, ut latoris delictum nunquam detegatur.* Sed per se loquendo, id est, nisi scandalosa desertio aut prolis damnum timeatur, informanda est altera pars, seu *certioranda* de prioris consensus nullitate, quod fieri potest dicendo se putare, quod non consenserit debitè, & ad hanc inquietudinem ex reverentiâ erga Sacramentum tollendam cito animi scrupulos fugari renovando consensum, ut gratia Sacramentalis obtineatur.

FORMULÆ

autem dispensationum in impedimentis matrimonii usitatæ sunt sequentes, impertinendæ in actu Sacramentalis confessionis, postquam pronuntiata est absolutio à peccatis.

Pro eo, qui cognovit carnaliter sororem ejus, quam vult ducere uxorem.

Item *auctoritate &c. dispenso tecum super impedimento ex copula illicita à te habita cum sorore*

rore mulieris, cum qua contrahere intendis, ut præfato impedimento non obstante matrimonium cum dicta muliere, servata forma Sac. Concilii Tridentini contrahere, consummare, & in eo remanere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Insuper eadem auctoritate prolem, quam ex dicto matrimonio susceperis, legitimam fore pronuntio & declaro. In nomine Patris &c.

Pro eo, qui contraxit cum ea, cujus sororem carnaliter cognoverat;

Misereatur tui &c. *Indulgentiam* &c.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & interdicti, dein absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris &c. Item *auctoritate* ùt supra &c.

Pro eo, qui cognovit consanguineam, sive affinem intra quartum gradum, & obtinuit dispensationem à Dataria super impedimento consanguinitatis, sive affinitatis, copula non expressa.

Post absolutionem à censuris, & peccatis, ut supra. *Insuper auctoritate* &c. *dispenso tecum super impedimento ex incestuosa copula, quam cum tua consanguinea (vel affine) habuisti, ut præfato impedimento non obstante matrimonium cum illa ad formam literarum dispensationis, quam à sede Apostolica obtinuisti, contrahere licite possis, & valeas. In nomine Patris* &c.

Et pariter eadem auctoritate prolem, siquam suscepisti, ac susceperis, legitimam fore decerno. In nomine Prtris &c.

Pro

Pro iis, qui præcedente adulterio, & data fide contrahere volunt inter se matrimonium.

Præmissa absolutione in forma solita dicatur.

Insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata tecum dispenso super impedimento criminis ex adulterio, & fide data proveniente, ut illo non obstante matrimonium cum muliere complice, servata forma sacri Concilii Tridentini, contrahere & consummare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Insuper eadem auctoritate prolem susceptam, non tamen ex adulterio, & suscipiendam, legitimam esse declaro. In nomine Patris &c.

Prædictæ formulæ mutatis mutandis servient pro exequendis dispensationibus in aliis impedimentis matrimonialibus.

Tertio. Cum sacra Pœnitentiaria absolvat à censuris, dispensetque in irregularitate pro rehabilitatione ad beneficium aliud ab eo, quod Simoniace comparatum fuit, & condonatione fructuum beneficialium male perceptorum, si beneficiatus vel horas Canonicas omiserit, vel Simoniam juris Ecclesiastici commiserit per se vel per alium, modo casus permanserit occultus, si ejusmodi literæ exequendæ obveniant, diligentem curam adhibeat Confessarius in investiganda veritate causæ sacræ Pœnitentiariæ expositæ, ac cæteris conditionibus in eisdem literis contentis, ne actum irritum faciat cum propria, & pœnitentis animæ jactura.

Formula

Formula autem adhibenda in absolutione à censuris hæc est:

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata, absolvo te in primis ab excommunicationis sententia, quam incurristi ob manus violentas injectas in clericum, sive &c. *& ab omni alio vinculo excommunicationis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges* &c.

Formula adhibenda pro absolutione ab irregularitate.

Et pariter eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super irregularitate, quam ex homicidio contraxisti, ut illa non obstante clericali charactere insigniri, ac ordines etiam Sacros & Presbyteratus suscipere, & postquam susceperis, in illis etiam in altaris ministerio ministrare licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Quodsi pœnitens sit jam promotus ad ordines, dicatur. *Ut illa non obstante in sacris ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare possis, & valeas. In nomine Patris* &c.

S. Pœnitentiaria concedit facultatem absolvendi Simoniacum occultum cum ratihabilitatione taliter: audita priùs Sacramentali confessione, dummodo cum effectu beneficium Simoniacè obtentum dimiserit, cum obligatione restituendi fructus perceptos salutari pœnitentiâ injunctâ eundem auctoritate Apostolica specialiter delegata absolvat ab irregularitate & quocunque Canonico impedimento per hoc peccatum contracto, &, ut in S. ordinibus ministrare, beneficia Canonicè collata recipere & retinere licitè va-

leat, misericorditer in foro conscientiæ dispenset. Aliquando indulgetur retentio beneficii sed cum obligatione omnes reditus perceptos & percipiendos ad causas pias expendendi. Aliquando conceditur retentio, si fidem faciat, quod Simoniaca promissio vel pactio realis à tertio fuerit facta, & ante institutionem Canonicam, ac possessionem nullatenus devenerit in ejus facti notitiam : ut testatur prosper Lambertinus postea Benedictus XIV. in Instit. Eccles. 13.

Formula est sequens :

Et insuper eadem auctoritate Apostolica tecum dispenso super irregularitate, quam ex Simonia, & ex violatione postea contraxisti, ut illa non obstante in tuis ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, ac beneficia, siquæ alias tibi Canonice conferentur non tamen beneficium, quod Simoniace obtinuisti & dimisisti, recipere, & retinere licite possis, & valeas. In nomine Patris &c.

Formula pro condonatione fructuum male perceptorum, ob omissas horas Canonicas, quæ condonatio fieri regulariter non debet, nisi imposita priùs pœnitentia eleëmosynæ â Confessario juxta qualitatem pœnitentis taxandæ, & faciendæ vel pauperibus, vel Ecclesiæ, vel capellæ beneficii.

Post absolutionem à censuris, & peccatis.

Et insuper auctoritate Apostolica mihi specialiter delegata fructus, quos ex tuo beneficio male percepisti ob non recitatas horas Canonicas, mediante eleëmo-

eleëmosyna tibi impositâ, gratiose tibi remitto, & condono. In nomine Patris &c.

Hæ formulæ mutatis mutandis poterunt aliis casibus dispensationum, & absolutionum applicari. Episcopi dispensare possunt in casibus S. Pontifici reservatis, si matrimonium sit publicè bonâ fide contractum, & consummatum, impedimentum verò occultum, super quo Papa dispensare solet, & dum impartialium judicio grave scandalum timetur, inopia autem & distantia, & corporis vires obstant recursui ad curiam Romanam. Sed temerè fingi non debet impedimentum, cum in formâ pauperum facilè subveniatur, si bona sit dispositio. Quoad officium Breviarii potest ordinarius proprius dispensare ex gravi causâ ob nimiam debilitatem visûs, ob studia adolescentis beneficiati. Generatim discerni debent, quæ Episcopus possit authoritate delegatâ, quæ ordinariâ; in dubio rectè ambo tituli junguntur exprimendo: *ordinariâ, vel delegatâ.* Quoad conjugatos ab hæresi conversos dispensant Episcopi in omni gradu, si non attingitur primus & proles ex tali matrimonio tempore hæresis natas declarant legitimas.

Repetendum est denuo, statuta, & praxin Archidiœceseos Parochis & Confessariis esse attentè observanda, ut intentio S. Sedis Apostolicæ debitâ cum obedientiâ impleatur ad gloriam Dei, & Domini nostri Jesu Christi, cui honor, & laus, & gratiarum actio in sæcula sæculorum Amen.

REGULÆ

QUÆDAM A CONFESSARIIS MONIALIUM OBSERVANDÆ.

Quiſquis Monialium director, ſeu Confeſſarius vel propriâ liberæ voluntatis electione, vel ſuperioris juſſu fieri vult, roget Dominum, à quo recta conſilia, & juſta ſunt opera, ut doceat, quis ſcopus intendi debeat, & quomodo ad meriti incrementum laborioſo hoc munere fungi oporteat. In omnibus ducatur zelo verum Dei honorem, & animarum ſalutem promovendi; prudenti judicio, & æquanimitate diſcretâ, & patientiâ utatur, & animas modo ad earum varietatem accommodo ita regere ſemper conetur, ut æmulari ſtudeant chariſmata meliora, & aliæ aliarum exemplo incitentur ad fugandum teporem, & religioſis obſequiis ferventer inſiſtendum. Per capita ſubſequentia oſtendetur, quid his moderatoribus congruat, quid curare teneantur, ut Moniales in ſua vocatione confirment, tum ut eas ad perfectam votorum, & regularum obſervantiam ſecurius perducant, tum ut errantes ſalutariter reducant, juxta monitum Apoſtoli: *Argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ, & doctrinâ*, pro quo ſit.

CAPUT

CAPUT I.

EXAMINANTUR EA, QUÆ IN MONIALIUM CONFESSARIO SPECIALITER REQUIRUNTUR.

Commune hoc habet uterque ſexus ex infirmitate naturæ per peccatum primi parentis vulneratæ, quod quanquam ſtatum profiteantur, ſeu clericatûs ſæcularis, ſeu monaſticæ religionis per ſpeciales regulas dirigentes ad perfectionem, non tamen careat imperfectionibus; ideoque transgrediendo præcepta errare poſſunt clerici ſæculares, & regulares. Ductore ſpirituali opus eſt viris, magis autem fœminis ob majorem ſexûs fœminei imbecillitatem, cui non convenit in Eccleſiâ docere, ſed diſcere. B. Bernardinus Feltrenſis Monialium regimine ſibi per ſuperiorem commiſſo dicebat: *Periculoſum quidem eſt, ſed meritorium; tædioſum, ſed ſalutare, & compatiendum eſt miſellis ſororibus in carcere pereuntibus abſque ductore, noſtroque aliquali incommodo debet ſalus procurari proximarum.*

Præter ea quæ in quolibet Confeſſario requiſita ſunt, *primo* exactam Regulæ, ſtatutorum & conſuetudinum approbatarum notitiam ſibi comparet, quibus in caſibus leges, decreta, & præcepta data à ſuperioribus obligent ſub mortali vel veniali tantùm, diligenter inquirat, ut peccati qualitatem in tranſgredientibus & confitentibus cognoſcat; & Moniales ad obſervantiam Regularem fructuosè excitare poſſit, ſine hac enim notitia cœco modo procedet, imprimis verò præter auxilii divini petitionem præbeat exem-

plum bonorum operum, ut potens ſit exhortari in doctrinâ ſanâ.

Secundo. Dum, ut loquitur S. Gregor. & præcipue Monialibus *non una eademque exhortatio cunctis congruit, quia non cunctos par morum qualitas adſtringit*, in hoc maxime laborandum illarum moderatori, ut ſemper paratus ſit ad ſuppeditandum vel opportunum remedium, vel ſalutare ſolatium pro diverſitate geniorum, & hunc in finem attenta mente pervolvat libros aſceticos, ut ad imbuendum devotum fœmineum ſexum ipſe inſtruatur, & opportunâ ſpirituali eloquentiâ omnes principi paſtorum Chriſto lucrifaciat.

Tertio. Moniales non tantùm tenentur ſtrictè regulam, quam profeſſæ ſunt, obſervare, ſed & ſtatuta ſui ordinis ſeu religioſæ communitatis, cui ſe devoverunt, & ex quâ tranſibunt judicandæ ad Chriſti tribunal juxta legem, cui per votum in poſſeſſione factum ſe voluntarie ſubjecerunt. Cum locus, veſtitus, contubernium, Sacramentorum frequens ſuſceptio, & quotidiana ſacra lectio, & meditatio totidem ſint excitamenta ad perfectioris vitæ obſervantiam, irreligioſum eſt ſigillatim de functionibus, quæ exiguntur, dicere. Ad hoc non obligor ſub gravi peccato; evangelica Conſilia liberum erat vovere, ſed felix poſtea neceſſitas eſt inducta per profeſſionem.

Quarto. Quamvis obſervatio multorum ſtatutorum in aliquibus Religionibus graviter non obliget, ſi tamen ex contemptu quodam formali

mali vitæ religioſæ, aut monaſticarum obſervantiarum non obediatur ſtatutis, Moniales illo modo transgredientes peccant mortaliter cum ſpretu monitorum Confeſſarii, conſuetudini ſcandaloſæ inhærere, indicat, quod inobedientia ſpecialis & formalis intercedat.

Quinto. Excuſari tamen illas judico à delicto gravi, quæ ex fragilitate quâdam in malam conſuetudinem inducuntur aliquid committendi vel omittendi contra ſtatuta non obligantia ſub reatu culpæ, cum univerſim exinde non poſſit inferri ſcandaloſa diſſipatio diſciplinæ regularis, aut aliud quidquam, propter quod transgreſſiones iſtæ cenſeantur pœnam æternam mereri.

Sexto. Veruntamen diſſimulandum non eſt, quod conſuetudines iſtæ facillime diſponant ad contemptum formalem, ſicut peccata venialia ſæpius repetita diſponere ſolent ad mortalia, idcirco Moniales ſub mortali tenentur conſuetudinem iſtam tollere, ſi advertant, quod per illam exponantur periculo incidendi in contemptum formalem, vel quod conſuetudo iſta inducat votorum transgreſſiones, vel denique ſi per illam occludatur via ad perfectionem Religioſam neceſſaria. Confeſſarius conetur ejuſmodi conſuetudinibus repagulum arguendo, obſecrando, ſuadendo opponere, dum eas animadvertit vergere ad corruptelam.

Septimo. Subſtantialia Religionis vota ſi conſiderentur, neceſſe eſt, ut Moniales ſervent Regulam in omnibus, Quamvis variæ contra irrepſe-

rint consuetudines, per has enim non deobligantur; quia votorum substantialium obligatio est ex jure divino, contra quod nulla consuetudo prævalere potest, & hoc bene notandum Confessariis in illis Monasteriis, ubi illis etiam actionibus, quæ contra naturam statûs Religiosi attentantur, illinitur fucus consuetudinis, & prætexitur, secundùm eam se professas esse.

Octavo. In aliis tamen, quæ communiter accidentalia nominare consuevimus, excusari possunt Moniales ob consuetudinem, non servantes aliqua ex præscriptis in Regula aut Constitutionibus, quia ob locorum diversorum circumstantiam, aut ex alia causa potest esse consuetudo fundata & rationabilis, cui statuta non præjudicant, sic in omnibus Clarissarum nostrarum Conventibus non est idem observantiæ rigor, si considerentur observatio jejuniorum, persolutio horarum Canonicarum certa noctis hora, sicut & vestimentorum quædam differentia, quorum mutatio nec Regulæ quoad substantialia, nec disciplinæ regulari obstat.

Nono. Moniales in nostro Ordine profitentes Regulam S. Claræ ab Urbano IV. illis concessam Urbanistæ seu Clarissæ nominantur, quæ communibus tribus votis substantialibus superaddunt quartum votum clausuræ perpetuæ, prout in Regula continetur; profitentes vero tertiam Regulam S. Francisci Tertiariæ audiunt, quæ quidem tribus votis substantialibus se ligant, cum verè participent privilegia Religionis approbatæ à S. Sede, sed non in omnibus

earum

earum Monaſteriis clauſura perpetua obſervatur, neque ſtricta, neutra tamen ſeu Urbaniſtarum, ſeu tertiariarum Regula præter vota & quæ immediatè cum iis connectuntur, obligat ſub peccato, ſuppoſitis ſupponendis.

Decimo. Non eſt dubium, quin Moniales vi profeſſionis & ob excellentiam ſtatus teneantur tendere ad perfectionem religioſam, & quidem ſub obligatione gravi, cum in hoc conſiſtat ſubſtantia ſtatûs Religioſi, ſive jam obligatio illa ſit eadem, ſive diſtincta ab obligatione ſervandi vota, & obſervantias regulares, quæ quæſtio in praxi inutilis omnino cenſetur.

Undecimo. Non tamen requiritur, ut vi dictæ obligationis omnino ſint actu perfectæ Moniales, cum ſtatus Religioſus ſit de perfectione acquirenda Nec etiam requiritur, ut omnes prorſus inordinatas paſſiones ſuperaverint, ſed ſufficit, ut illas gratiæ divinæ auxiliis cooperando ſuperare conentur, ad exemplum S. Pauli Apoſt. qui Chriſtum Dominum in ſe tanquam mundo crucifixus exprimere volens, in membris ſuis ſentiebat legem repugnantem legi mentis, quam tamen deſtruxit gratia Dei adjutus.

Duodecimo. Via hic ad perfectionem ducens eſt exacta Regulæ atque ſtatutorum obſervatio; frequens reminiſcentia præſentiæ Dei; & prompta exercitiorum ſpiritualium ſecundùm normam in Monaſterio uſitatam executio, ac præcipue amor Dei ſuper omnia, cui in profeſſione ſe,

totamque vitam suam consecravit Monialis, ut impedimentis submotis eum securius quærat, & in ejus tranquilliore servitio delicietur.

Decimo tertio. Confessarius corrigere debet errorem illarum Monialium, quæ judicant viam perfectionis inquirendam esse per omnia opera consiliorum, aut supererogatoria, ut vocantur, in quo aliquæ solent esse immoderatæ, quia ad tale studium perfectionis sese non obligârunt, sed hoc tantùm præter illa, quæ christiana Religio omnibus fidelibus commendat, speciatim intendisse censentur, dum se sacro instituto devoverunt, & hoc Monasterium seu strictum, seu papaliter mitigatum elegerunt, speciatim inquam censentur intendisse, ut piis ibi Deo servientium exemplis, & regularum observatione sibi felicius comparare possent objectum Spei christianæ; comparatur autem, si exercitia in Regula & Statutis præscripta sedulo observent.

Decimo quarto. Sequitur ex jam dictis obligatio Superiorissarum, quâ hæ sub mortali tenentur procurare, promovere, & conservare regularem observantiam, & disciplinam religiosam, quia tanquam Matres tenentur quærere progressum spiritualem aliarum, pro quibus rationem reddituræ sunt Christo sponso Virginum. Illis incumbit servare Religionis integritatem, & puritatem, & quidem prout Regula & Constitutiones illam exigunt; quo in munere si desides fuerint, si permittant regularem observantiam relaxari, si dissimulent frequentes Moniali-

nialium transgreſſiones cum notabili diſciplinæ monaſticæ detrimento, graviter delinquunt, cum in re magni momenti officio ſuo deſint, quo ſuper, ſi neceſſe fuerit, opportune & diſcrete à Confeſſariis admoneantur. Ulterius

Decimo quinto. Obligantur Conventuum ſuperioriſſæ, ut etiam in occultas Monialium transgreſſiones inquirant, in hoc enim ſi negligentes fuerint, Monialibus dabitur anſa Regulam impune transgrediendi, quia facile media inquirent, & cavebunt, ne ejuſmodi transgreſſiones in conſpectu Superioriſſarum fiant. ſaltem ejus generis inquiſitio transgreſſionum frequentiam imminuet, & abſterrebit paulatim ab illo abuſu libertatis. Prudenti tamen, & diſcretâ moderatione ſollicitudo temperetur; ut ex zelo officii, non ex inordinata paſſione, ad promovendum bonum communitatis illam ſollicitudinem procedere ipſæmet reæ intelligant. Si levi credulitate cuilibet denuntiationi fides ſtatim adhibeatur, facile ſequetur diſcordia per ſuſpiciones, judicia temeraria, detractiones, & rixas.

Decimo ſexto. Confeſſarius (etiam Regularis vel generaliter, vel pro aliquo diſtrictu ſeu loco, intra quem ſunt monaſteria Monialium) poteſt exercere ſuam facultatem curæ ſubſidiariæ de præſcitu & venia Parochi quoad parochianos, non tamen poteſt licentiam obtinere à Confeſſario Monialium quoad illas, niſi ſpecialiter extenſa ſit ad eas approbatio, quia pro excipiendis confeſſionibus Monialium (etiam quoad privilegium in S. Synodo Trid. expreſſum bis

aut

aut ter per annum petendi Confessarium extraordinarium) requiritur approbatio Episcopi, Trid. Sess. 25. de Regul. c. 10. Barbosa in annot. ad dictum Concilium. Innocentius XIII. in Constit. per Benedictum XIV. innovatâ mandavit ut Superior Regularis etiam exemptis sui ordinis Monialibus pro extraordinario Sacerdotem sæcularem vel ex alio ordine Regularem concedere debeat, & quatenus nolit, vel negligat, ad Episcopum authoritate delegatâ Apostolicâ pertinere deputationem ùt suprà. Non tantùm quæ sunt sub Episcopi jurisdictione, sed etiam quæcunque Regularium Prælatorum gubernio subsunt explicitis terminis Constitutionum Gregorii XV. & Clementis Iomi, de quibus Benedictus XIV. in Tract. de Syn. l. 9. c. 15. n. 10. Jurisdictionem obtinere debet ab Episcopo. Bullam, *Inscrutabili*, Gregorianam satis hìc esse promulgatam, probat Synodus Maximiliani Henrici, quæ fuit anno 1662..

Decimo septimo. Si Moniales degant extra Monasterium legitimâ ex causâ ac permissione per aliquot hebdomadas, & nullus pro Monialibus approbatus in eo loco existat, Parochus loci ab Ordinario restrictam specialem pro illis approbationem facile impetrabit, quia tanto tempore Ecclesia non vult illas destitui Sacramentis cum damno animarum ex statûs sui conditione ad perfectionem tendentium. Si Confessariis extraordinariis, qui intra claustra excipiunt Monialium confessiones, opus est authoritate delegata Papali Episcopis datâ, ita opus erit in tali casu, qui per Ecclesiæ leges debet esse infrequens.

Decimo octavo. Si quæritur, quid de Monialibus, quæ infirmis ministrant, & quidem in Civitate, in qua earum cænobia sita sunt, ut Coloniæ fieri solet? *Resp.* Illis facillimum esse huic legi obedire, cum aditus apertus sit ad suum Confessarium ordinarium, aliumve approbatum.

Decimo nono. Qui ad asserendam Confessariis Monialium ex ordine Minorum S. Francisci independentiam ab authoritate Episcopi etiam facta promulgatione præfatæ Bullæ se fundant cum recenti quodam Theologo in silentio summi Pontificis, quod ad supplicam Ordinis FF. Minorum pro impedienda illius Bullæ executione statim in principio publicationis Pontifex non responderit, & justissima epykia in illo ordine observantiam hujus Bullæ dissimulâsse censeatur, ejusdem ponderis ratiocinium est, quale faciebant ultrajectini anticonstitutionistæ, dum ad supplicam pro confirmatione electionis Archiepiscopi à se attentatæ responso non accepto tacitè Papam ad votum concessisse gloriabantur.

Vigesimo. Neque rectè egit quidam Confessarius ex ordine Fratrum Minorum, quod scio esse practicatum, qui insistens erroneo illi themati cum specialem approbationem pro Monialibus non haberet à suo superiore missus officium Confessarii extraordinarii præstitit excipiendo Confessiones Monialium exemptarum S Bernardi; obstitit juxta superius dicta de Confessario extraordinario, quod pro Monialibus non

fuerit

fuerit approbatus ideo, à Prælato proprio Monialium, ſeu harum ordinario Confeſſario aſſumi non poterat ad hanc functionem.

Vigeſimo ſecundo. Superioriſſæ Monialium non poſſunt authoritate ſui officii concedere facultatem Religioſis ſubditis ſuis, ut confiteantur alteri, quàm Confeſſario ordinario. Si præter duas trésve vices, aut etiam in quatuor temporibus concedatur extraordinarius, & aliquoties una aut altera inſuper petat ſpecialem licentiam ab Epiſcopo, Benedictus XIV. ſuadet, ut facilem ſe præbeat, conſequenter idem ſuadendum Confeſſario ordinario, niſi obſtet gravis cauſa, hoc concedendo periculoſus animæ ſtatus nonnunquam emendatur. Superioriſſæ in hoc foro nullâ prorſus gaudent Jurisdictione, adeoque nullam Confeſſario poſſunt concedere facultatem, conſequenter ſolâ Abbatiſſæ conceſſione nixi invalide abſolvunt ob defectum Jurisdictionis, *juris enim communis eſt*, inquit Sylvius, *quod nullus Sacerdos, ſive Regularis, ſive Sæcularis poſſit audire confeſſiones Religioſorum, ac Religioſarum, niſi à Prælatis ipſorum jurisdictionem accipiat.*

Vigeſimo tertio. Moniales Ordini noſtro adſcriptæ & ſubjectæ invalidè confitentur extraneis Confeſſariis etiam alias pro Monialibus approbatis, ſi habeatur copia Confeſſarii ex Ordine noſtro, ut clare indicant *Conſtit. in Cap. VII. Reg. Tit. 2. n. 4.* extra caſum extraordinarii, ùt ſuprà.

CAPUT

CAPUT II.

DE VOTO OBEDIENTIÆ ET HUJUS OBLIGATIONE.

Primo. INter vota essentialia primum locum merito obtinet obedientia, voti enim nobilitas ex eo commensuratur, quod majus seu dignius Deo, cui vota nuncupantur, offeratur, ac proinde cum per votum paupertatis Deo offerantur terrena hujus mundi bona, per castitatem caro & corpus, ac animi inclinationes, per obedientiam vero ipsa voluntas Deo destinetur, & superiori loco ipsius Dei subjecta declaretur, & tradatur irrevocabiliter, obedientiam aliis votis præeminere colligitur, unde Joan. XXII. extravag. *quorundam* de verborum significationibus circa finem: *magna quidem paupertas, sed major integritas, bonum est obedientia maximum*; hæc si illæsa servetur, & alia vota intacta & integra perseverant. Vovere obedientiam sub regulâ S. Benedicti satis adstringit Benedictinos ad paupertatem & castitatem, etsi de his nihil in professione expresserint.

Secundo. Votum religiosæ obedientiæ est promissio seria, qua propria voluntas abnegatur, & superiori propter Deum subjicitur in omnibus, quæ intra limites virtutis obedientiæ continentur, quare votum istud se tantum extendit ad illa, quæ nulli legi divinæ, neque Ecclesiæ præcepto contraria sunt.

Tertio.

Tertio. Si certum fuerit, rem præceptam esse illicitam & inhonestam, vel contra Regulam, aut præceptum superioris majoris, Monialis nullatenus obedire tenetur, cum tantum se obligaverit ad id, quod est materia voti, adeoque ad licita & honesta, ut de se patet, & quamvis obedientia communiter dicatur esse cœca, peccati tamen causa esse non debet, *Deo enim magis obediendum quàm hominibus.* S. Petrus in act. Apost.

Quarto. Insurgente dubio, an res præcepta licita sit, justa, aut utilis, Monialis dubium deponere, & superiori præcipienti obedire tenetur, præsumptio enim est pro authoritate superioris, exigente id bono communi. Nota quædam superbiæ est & inordinati amoris erga se, si ad obediendum obligata prius instituere velit examen motivorum superioris jubentis, eòque magis, si suis consodalibus rationes dubitandi à se conceptas aperiat. Licèt forte præcipiens erret, tamen obediens non carebit merito, quo super vid. Theologia de conscientia dubia. Omnes murmurantes in Monasteriis inobedientiæ suæ hunc fucum illiniunt, quod vel non rationabile vel non discretum sit, quod præcipitur.

Quinto. Quando præcipitur res merè spectans ad utilitatem temporalem subditi, e. g. si Monialis reconvalescens contra judicium medici censentis esse certum, quod noceat recitatio Horarum, abstinentia, judicet medicum, Superiorissam, Confessarium errare, vel humiliter mutet suum sentimentum, vel cum Sanctis pueris captivitatis Babylonicæ roget, ut sibi per aliquod

tempus

tempus permittatur veſci cibo juxta ordinis, aut temporis obſervantiam. Si autem quaſi cogeretur egredi ad curationem e. g. Aquenſem, poteſt rationes in contrarium opponere, ſed ſemper modeſtiâ opus eſt; ob talis itineris incommoda, clauſuræ utilitatem certiſſimam, & curationis foris quærendæ incertitudinem conveniens erit mutari juſſionem ejuſmodi. S. Bernard. diſerte ſcribit: *Prælati juſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec ultra extendi poteſt, nec contrahi citra; nihil mihi Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quam promiſi*; diſcreta itaque ſit præcipientis voluntas, & prompta erit obedientis executio, ubi potiſſimum ſpectentur illa, quæ ad Regulam ſpectant, & regulari obſervantiæ utilia exiſtunt.

Sexto. Sicut ſubditi ſequi non tenentur, niſi voluntas præcipientium ſit manifeſtata, ita nec Moniales ex voto obedientiæ tenentur exequi illud, quod ſciunt velle ſuperiorem, ſi voluntas illius nullatenus ſit manifeſtata; voluntas enim ſola mente retenta nihil operatur, quamdiu hæc vel ore, vel ſcripto, vel alio modo non eſt intimata.

Septimo. Moniales Ordini noſtro ſubjectæ ex voto obedientiæ parere tenentur inprimis ſummo Pontifici legitime electo tanquam Capiti ſupremo non tantum Eccleſiæ, ſed & omnium Regularium Congregationum, deinde Miniſtris Generali & Provinciali, ſicut & Capitulo ſive generali ſive provinciali, demum Abbatiſſæ, aut

legitimæ ſuperioriſſæ, his enim cum competat jure ordinario facultas præcipiendi, neceſſum eſt, ut in ſubditis ſit obligatio ſequendi.

Octavo. Miniſter Provincialis aut alius Prælatus regularis habens Moniales ſibi ſubjectas poteſt imponere alia præcepta ſpiritualia etiam circa illa, quæ non ſunt in Regula, dummodo ad hujus, aut regularis obſervantiæ conſervationem poſſint conducere, talis enim ſuperior cum polleat poteſtate ſpirituali, præcipere poteſt illa, quæ ad bonum ſpirituale Monialium conducere valent.

Nono. Dicta tamen ita præcipiendi poteſtas denegatur Abbatiſſæ etiam Clariſſarum, quamvis hæ in manus ejuſdem vota emittant, ut tradit *Cajet. de Alex. c.* 6. §. 1. *de nat. vot. obed. q.* 8. ac proinde illa præcipere non valet in virtute obedientiæ niſi ea, quæ in Regula aut ſtatutis continentur, ac pro aliis ad legitimum ſuperiorem recurrere tenetur, ut iſte ſtatuat, quod magis prodeſſe videbitur.

Decimo. Præceptum ſuperioris an inducat obligationem ſub culpa, determinandum eſt ex verbis, & modo præcipiendi, quare, ſiquid præcipiatur in virtute S. obedientiæ, vel ſub formali obedientia, graviter culpabilis erit inobedientia, ſtante materiæ gravitate, quæ ſi levis fuerit, levis & erit transgreſſio, quod pariformiter inferendum, ſiquid ſtricte jubeatur, aut abſolute prohibeatur, quia verba iſta indifferentia ſunt ad obligandum ſub mortali vel ſub veniali, adeoque deciſio

peta-

petatur ex gravitate vel levitate materiæ præceptæ, aut ex aliis circumſtantiis & fine præceptum dantis; ideo, dum ex frequentatione levium culparum animadvertitur ſcandaloſa relaxatio diſciplinæ, & quod debitus conatus tendendi ad perfectionem à S. Fundatore intentus negligatur, per inſtigationes, ut in quibusdam per ſe parvi momenti obſervantiis non obediatur Superioriſſæ vel ſuper modicis defectibus moleſtæ murmurationes fiant, peccatur mortaliter ob grave damnum, quod Monaſterio infertur.

Undecimo. Generaliter tenentur Moniales obedire in omnibus illis, quæ præcipiendi facultatem habet ſuperioriſſa, quia correlativa ſunt præcipiendi auctoritas, & parendi neceſſitas *Vid. Theol. de Legibus.*

CAPUT III.

DE PAUPERTATE RELIGIOSA, EJUSQUE OBLIGATIONE.

Primo. Paupertas religioſa eſt votum, quo Monialis profeſſa in perpetuum à ſe abdicavit proprietatem, & uſum à licentia Superioris independentem bonorum temporalium undecunque provenientium. Fit itaque per hoc votum incapax acquirendi ſibi, poteſt tamen acquirere Monaſterio, ſeu velit, ſeu nolit cum nequeat efficaciter renuntiare poſt profeſſionem in Monaſterio capace ſucceſſionis in bonis.

Secundo. Monialis vi hujus voti nequit ſine conſenſu ſuperioris rem quampiam temporalem pretio æſtimabilem recipere, detinere, donare, vendere, aut emere, neque circa illam contractum inſtituere, aut de ea pro libitu diſponere, hæc enim fluunt ex dominio, & proprietatem indicant, cujus incapax eſt Monialis profeſſa, imo votum iſtud transgrediens damnatur ob culpam gravem pœnâ graviſſimâ *Cap. cum ad Monaſt. de ſtatu Monachorum: quod ſi proprietas apud quenquam inventa fuerit in morte, ipſa cum eo, ſcil: proprietario, in ſignum perditionis extra Monaſterium in Sterquilinio ſubterretur.* Barboſa ad hoc Cap. notat æquitatem ſuadere, ut tantum pars pecuniæ ſepeliatur, ne tota pereat, & quod quidem aliquorum ſit ſententia debere triginta nummos ſepeliri in memoriam Judæ, ſed hujus opinionis nullum in jure extare fundamentum.

Tertio. Ne juxta exemplum Ananiæ & Sapphiræ contra obligationem ſpontè ſuſceptam amor pecuniæ pervertat, moneat Confeſſarius, ut Monialis volens aliquid notabile alienare Superioris conſenſum expreſſum petat, qui verbo, ſcripto aut alio ſigno externo liberè detur, non autem extorqueatur. Conſenſus virtualis tunc ſufficit, dum Moniali legitimè data eſt licentia, ut per aliquod temporis ſpatium extra Monaſterium degat valetudinis curandæ causâ, per totum tempus abſentiæ accipiendi & dandi licentia cenſetur ſe extendere, prout honeſtum & decorum ac ſtatui, quem profitetur, congruum judicaverit: cupiditatis, & vanitatis nota caveatur.

Quarto.

Quarto. Conſenſus tacitus eſt tolerantia Superioris non contradicentis, dum videt à ſuis ſubditis quidquam acceptari, expendi, aut conſumi. Conſenſum hunc ſufficere in rebus levioris momenti, & in illis, quæ crebro occurrunt, ac à timoratis practicari cernuntur, ſuadet axioma juris: *Taciti & expreſſi idem eſt judicium*; & nimis moleſtum foret temporis diſpendium frequenter interpellari ſuper conſenſu expreſſo in ejuſmodi, ſupponitur, quod facultas loquendi & contradicendi in ſuperiore ſit libera; ſi enim ſuperioriſſa blandimentis fatigetur, & videns contradicere non audeat frequenter varia alienanti, & ſuperioriſſa peccat per conniventiam, & Monialis per exceſſum contra votum pro qualitate materiæ, & pro ratione unionis moralis inter actus frequentatos.

Quinto. Conſenſus præſumptus eſt, qui ex dictamine prudentiali judicatur jam dandus, ſi ſuperior coram eſſet, & rogaretur, aut per ratihabitionem ſecuturam approbandus, ſi Superioriſſa infirma reconvaluerit. Si agatur de re magni momenti, dilatione opus eſt; in ordinariis verò & obviis ex conſenſu præſumpto fieri poteſt reſolutio, ſi differri nequeat. Ad declinandam obligationem humiliter petendi licentiam leviter ſibi figurare conſenſum præſumptum, aut interpretativum non licet; caveatur hic, ne iniquitas mentiatur ſibi. Confeſſarius ex diſpoſitione pœnitentis dijudicare poteſt, quid in particulari ſit practicè judicandum pro directione ſpirituali.

Sexto. Statuta ubi contraria non fuerint, consuevit peculium dependens à voluntate superioris asservari in usum particularem certæ personæ Regularis consistens in pensione annuâ prætaxatâ & per hypothecam assecuratâ ex benignâ tolerantiâ concedi etiam Monialibus, non in illis tantùm Monasteriis, in quibus ob tenuitatem bonorum, seu proventuum vita communis tam accuratè, sicut S. Mater Ecclesia per Sacros Canones præscripsit, commodè observari nequit, nec subministrari possunt illa, quæ senibus, & valetudinariis sunt necessaria, sed & illis in Monasteriis, quæ locupletes habent reditus, & attentâ mitigatione libertatem concedunt peculii majoris, minorisve pro diversitate conditionis. Non quidem desunt omnino exempla boni usûs talium peculiorum, sed abusus est in mitigatis Monasteriis non infrequens, dum aliæ indigent, aliæ abundant, & cibo, potu, vestitu, supellectile ita inter se nonnunquam differunt, ut non sit species vitæ communis & religiosæ paupertatis. Van Espen non infundatè notat, in talibus infirmarias, seu valetudinaria minùs curari, quam in pauperrimis ordinibus, quia ex peculiis sibi ægrotantes solatium quærunt, antea ex quâdam œconomicâ providentiâ sibi pecuniam coacervant mendicando apud propinquos, laborando, lucrum quomodolibet quærendo, quæ certè multum abscedunt à Scopo per sanctos Fundatores intento.

Septimo. Moniales ordinis nostri reatum peccati mortalis non effugiunt, si peculium penes se retineant, & pecuniâ istâ pro libitu utantur

seu

seu sciat & permittat superiorissa, seu nesciat, quia retentio ista est casus proprietatis per statuta ordinis reservatus, quare superiores non censentur alio modo permittere peculium, quàm ut illud deponatur superiorissæ ad custodiam, aut alteri Moniali ad hoc officium specialiter deputatæ. Notandum est, quod materialis illa depositio minimè sufficiat, si Religiosa quasi continuo sit suspiciosa, an peculium minuatur extra suos usus proprios & de depositariâ dicat, se judicare, quod ad alios usus pecuniam depositam convertat. Satis non erat, Israëlitas vesci in deserto pane cœlitus dato; oportebat insuper ei pani acquiescere cum fiduciâ, & gratiarum actione.

Octavo. Signum superbiæ est, si Monialis glorietur de mediis parentum, cum per hoc moveatur ad contemptum aliarum. Signum animi non contenti est, si dolet, quod renuntiaverit, quamvis absque affectu vel desiderio quidpiam habendi, vel usurpandi independenter à voluntate superiorum, quia ejusmodi complacentiæ in temporalibus animum detrahunt à spiritualibus, ut emphaticè scribit *Thomas Kemp.* L. 3. c. 9. nomine Dei loquens: *Qui autem extra me voluerit gloriari, vel in aliquo bono privato delectari, non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur, & angustiabitur.*

Nono. Contra votum paupertatis agit, & pro qualitate materiæ peccat Monialis, si rem quampiam ab aliis acceptam abscondat eo animo, ne

à superiorissa inveniatur, aut auferatur, intendit enim disponere de re illa sine licentia superioris, quod sapit proprietatem, & si Monialis sciens rem illam ita acceptam revelare detrectet Ministro Provinciali nostro petenti, & in sacra visitatione existenti, casum incurrit in Constitutionibus ordinis reservatum.

Decimo. Corrigendus est abusus, qui apud quasdam Moniales invaluit, dum esculenta, & poculenta colligunt undequaque, aut surripiunt eo fine, ut sustentare quasi possint certas mulierculas, quæ commissiones earundem occultatas superiori exequuntur; præter hoc enim, quod multæ exinde sequantur inconvenientiæ, rationabiliter invitæ sunt superiorissæ etiam quoad substantiam propter damnum Conventui sæpe emergens, ac proinde similes graviter delinqunt, si ejusmodi elargitiones sæpius repetantur. Considerent verba 1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus.* De superfluis cibis providebitur per eas, ad quas pertinet id curare. Damnum, quod inferunt, vel ex peculio, vel labore extraordinario compensare tenentur.

Undecimo. Quantum ad materiæ gravitatem in illis, quæ vel Moniales acceptant, vel à Monasteriis auferunt vel aliis elargiuntur, recolligenda veniunt, quæ in Theologia traduntur de Furtis filiorum familias, sunt enim Superiores subditis suis Parentum instar, sive corporalia, sive spiritualia consideremus, ac proinde respectu suorum in his inviti sunt censendi, ferè

sicut

ſicut Parentes reſpectu filiorum, & ordinariè juxta proportionem injuriæ, magis, vel minùs inviti ſunt ſuperiores. Religionis tamen intuitu multò enormior eſt fœditas, quod Deo à piis fidelibus oblata & piè ab anterioribus conſervata illicitè contra votum uſurpentur ab illis, quæ ad perfectionem tendere ſe velle promiſerant.

Duodecimo. S. Synodus Trid. Seſſ. 25. de Reg. c. 2. diſponit: *Mobilium uſum ita ſuperiores permittant, ut ſupellex ſtatui paupertatis, quem profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in eâ ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Reos jubet puniri juxta Regulæ, & ordinis Conſtitutiones.* Barboſa notat ad hunc textum: habendam eſſe rationem perſonæ, officii, Regularis ſtatûs, paupertatis, & aliarum qualitatum. Si contra Regulam (ſciente etiam, & conſentiente ſuperioriſsâ) Monialis retineat pro cellæ ornatu res omnino ſuperfluas & pretioſas, votum paupertatis transgreditur, quia hæc mundanam vanitatem ſapiunt inimicam paupertati religioſæ. Inter ſuperflua quid reputetur reſpectivè, diſcreto arbitrio Superiorum præfiniri debet.

CAPUT IV.

DE VOTO CASTITATIS, ET EJUS OBLIGATIONE.

Primo. Tertium inter vota ſubſtantialia eſt votum perpetuæ caſtitatis, quod voluntarie in ſacra profeſſione Monialis nuncupat Deo altiſſimo, ſerio promittens, quod impoſte-

rum tempore vitæ suæ velit esse *Sancta corpore & Spiritu*, adeo ut non solum vi hujus voti teneatur abstinere à conjugio, & actu conjugali, sed etiam à cogitatione & desiderio venereo, ac omni illo, quod virtuti castitatis adversatur.

Secundo. Monialis professa sive mortaliter, sive venialiter contra hoc votum peccans, duplex committit specie distinctum peccatum, & primo quidem contra castitatem, deinde contra proprium votum, vi cujus superadditur malitia sacrilegii, cum votum istud à Deo acceptatum obliget ex virtute Religionis. Neque hic curandum, quod quidam castitatem perhorrescentes votum istud tanquam abominabile malitiose traducant; carnalis enim homo non cognoscit illa, quæ sunt spiritûs Sancti, alia sane illorum hac in re esset opinio, si sine præjudicio legerent cap. 7. epist. primæ Pauli Apostoli ad Corinth.

Tertio. Votum istud transgredi potest Monialis cogitatione, verbo, & opere, quia votum hoc emittens promisit, se non tantum sensus externos, sed & internos ab omni contra rationem & legem divinam pugnante oblectamento esse coërcituram, ut casto Dei amore plenius oblectetur agnoscens factam se esse in professione sponsam Christi, cujus cor & caro intacta maneant necesse est, si sponso per omnia fidelis esse desideret, & frui Sancto divini amoris delicio.

Quarto. Cum Spiritus fornicationis castis mentibus non statim ad apertam libidinem incitando, sed per actus externâ specie honestos insidietur,

debet

debet anima, quæ Deo caſtitatem promiſit, ſollicitè hoc medium caſtitatem conſervandi amplecti, quod ethicæ chriſtianæ Magiſtri maximè congruum eſſe cenſent, nempe ſenſuum cuſtodiam. Caveat Sanctimonialis de ſalute ſollicita, ne capiatur per irrationabiles corporis paſſiones; ſenſui tactûs invigilet, nec tangere, nec tangi deſideret ad ſignificandam cum viro amicitiam; hæc non ſenſualis, multo minùs carnalis ſit, ſed rationalis S. Ambroſ. l. de officiis c. 3. ait: *Cito lutum colligit amnis exundans, alliga ſenſum tuum, non ſit remiſſus, habet ſuas habenas mentis ſobrietas, quibus regitur.* Eſto abeſſe affectum libidinoſum, ſed periculum non abeſt, *videte* (ait Apoſt.) *ne, ſi Spiritu cœperitis, carne conſummemini.*

Quintò. Eodem modo, ſi Monialis ſe accuſet de aſpectu hominis unius, aut plurium ſexûs maſculini, Confeſſarius interroget, quare ſe deſuper accuſet, cum aſpicere non ſit peccatum, & Ssma Virgo viros aſpexerit; forſan apparebit ſtatim, an accuſatio ſit ex mera ſcrupuloſitate, an aſpectus fuerit merè ſenſualis ob phyſio gnomiam, an carnalis e.g. ſi optaverit, ut eum pro marito haberet. Confeſſarius fugiat curioſitatem, & aſperitatem, curioſitatem fugiet erigendo cor ad Dominum, ut fructuoſum faciat miniſterium; aſperitatem fugere debet, ne pernicioſo pudore vitietur confeſſio. Doceatur per intellectum operationes ſenſuum, præſertim viſûs cohibere, ſeu juxta exemplum Jobi *paciſci fœdus cum oculis*, ne fixo obtutu curioſo ſuſcitetur cogitatio pernicioſa; doceatur ejuſdem Jobi

exem-

exemplo præſentem Deum cogitare? *Nonne ipſe* (de Deo ait Job c. 31.) *conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?*

Sexto. Indecens valdè eſt, ſi Monialis turpia loquatur, aut cantet, vel delectetur auditu, dum ab aliis hæc proferri audit ex joco, vel ob artificium muſicum, vel ob ſubtilitatem poeticam, quia in hiſce ordinarie intervenit periculum conſensûs venerei, cum per vulnera concupiſcentiæ, & infirmitatis, & naturæ per peccatum inductâ corruptione ſenſus noſtri in malum inclinent & ſcandalum ſæcularibus talia audientibus cauſetur. Ab omni propterea diſcurſu etiam æquivoco virgines Religioſæ abſtineant, ne juſto Dei judicio priventur auxiliis gratiæ, & aliis ſuſpectas ſe faciant internæ perverſitatis, cum ex abundantiâ cordis os loqui cenſeatur.

Septimo. Oſcula inter Religioſas (etſi frequentiùs, ubi mos obtinet) cum timore, & amore Dei data, & admiſſa ad fovendam charitatem & benevolentiam culpâ carent, niſi ad ſpecialis amicitiæ conteſſerationem aliis ab eo nexu excluſis conſororibus ſignificandam fiant, nam tunc fine malo vitiantur. Utilis enim imo neceſſaria eſt in Monaſteriis conjunctio amoris ad ſingulas ſe porrigens, ſi quæ Monialis advertat periculum aliquod conſensûs in motus carnales, inde forſan orituros, ab oſculis omnino abſtineat, cum ab aliis indifferentibus ſimili ex causâ teneatur abſtinere.

Octavo.

Octavo. Ordinarie propter periculum ſcandali in conſcientia Monialibus præſertim nobilibus mos eſt Patrem, Fratrem, aut 2do gradu conjunctum poſt longam abſentiam in primâ ſalutatione, & in diſceſſu honorare per oſculum, ubi verò ille mos non obtinet, item, etſi obtineat, non eſt eadem propinquitas, periculum eſt ſcandali.

Nono. Etiam propter ſcandalum Confeſſarius nullatenus permittat Monialibus commercium literarum, quibus per jocos, otioſam ſcriptitationem, & benevolentiæ captationem nituntur amicitiæ nexum fortius complicare, ut frequentiùs ſalutentur, talis pernicioſa corruptela facit voti immemores quærere, *quomodo placeant viris, & amorem habere diviſum*, Virgo Deo conſecrata non debet ſe turpiter profanare, ſed *cogitare, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta & corpore & Spiritu, & amorem habeat indiviſum:* præter Deum non admittat nec quærat alium amatorem.

Decimo. Monialis ſciens ſe turpiter amari ab aliquo, graviter delinquit, ſi ab illo munera recipiat, ſi familiarem acceſſum pergat ei concedere, à quo inhoneſtè ſe amari credit, quia per illam congreſſionem quaſi quotidianam fovetur prava voluntas, & inordinatus affectus illius, qui munera tradit, aut mittit, *munuſcula* plerumque ait *S. Hieronymus*, & ſudoriola, & veſtes oblatas, ac deguſtatos cibos. . . . ſanctus amor non habet.

Undecimo. Tolerari non debet abusus in laxioribus religiosâ disciplinâ destitutis Monialium conventibus illicitè receptus, dum in investituris & professionibus choreæ intra claustrum instituuntur cum sæcularibus, quasi reperiri non posset modus religiosæ recreationis, nisi ejusmodi choreæ in Clementina de *statu Monach.* c. 2. proscriptæ concedantur. Scandalosa illa tripudia non permittantur, ne naufragium faciat disciplina religiosa, & castitatis nitor pereat.

Duodecimo. Multum nocent caste vivere volentibus frequentia sæcularium utriusque sexus alloquia, & conversationes frequentes etiam cum Clericis & Religiosis; in his enim dum charitas & amicitia prætexitur, sæpissime carnalitas prævalet. In ejusmodi congressionibus potatur, cantatur, ridetur, jocosi, detractorii, aut alia labe infecti sermones miscentnr inordinatis actionibus puritati Religiosæ maxime adversis, ut prô dolor docuit, & docet experientia, quare similes conversationes â Superioribus merito sunt quoad tempus & modum cautè restringendæ. *Quoties inter homines fui, minor homo redii* Thomas Kemp. l. 1. c. 20.

Decimo tertio. Evitandum pariter pro servanda castitate otium, omnium malorum origo, David Rex otiando turpiter cecidit; quare Moniales exactam habeant temporis distributionem, otiosæ non inveniantur, ut monet Thomas Kemp. l. 1. c. 19. hâc sanctâ eloquii simplicitate: *Nunquam sis ex toto otiosus, sed aut legens, aut scribens, aut orans, aut meditans, aut ali-*

aliquid utilitatis pro communi laborans. Beatus ſervus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem, amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Decimo quarto. Denique ad conſervandum puritatis nitorem vel maxime conducit præter ſenſuum cuſtodiam corporis mortificatio ut abnegantes ſæcularia deſideria ſobriè, juſtè, & piè vivant conentúrque imitari exempla ſanctarum Virginum poſt cænobiticas auſteritates ad delicias æternas elevatarum. Illa animæ ad Deum à vanitatibus reverſæ pia verba cogitentur: *Riſum reputavi errorem, gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* Prodeſt denique quamplurimum ad tuendam caſtitatem mortis & inferni jugis recordatio, carnis maceratio, librorum Spiritualium lectio, aſſidua paſſionis, & vulnerum Domini Jeſu Chriſti memoria, unde dicebat D. Auguſtinus: *Cum me pulſat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Chriſti, cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei reſurgo.*

CAPUT V.

DE CLAUSURA MONASTERIORUM ET EJUS OBLIGATIONE.

Primo. Moniales omnes verè Religioſæ ex præcepto Eccleſiæ ad perpetuam clauſuram obligantur, ut deducitur ex Cap. *periculo* de ſtatu Regulari in 6. ubi illam præcipit *Bonifacius VIII.* cujus præceptum approbârunt,

&

& innovârunt non solum *Pius V.* & *Gregorius XIII.*, sed & ipsummet *Concilium Trident* Sess. 25. cap. 5. de *Regularibus* tam quoad egressum Monialium, quam quoad ingressum aliorum in illarum Monasteria his verbis: *Bonifacii octavi constitutionem, quæ incipit, periculoso, renovans sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinariâ, in aliis vero, Sedis Apostolicæ authoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maxime procurent.*

Secundò. Præceptum istud ubique fuisse receptum, inde manifestum est, quod clausuram illam omnes fere Episcopi aut Prælati Regulares introduxerint, etiam apud illas, quæ nec ex voto, nec ex consuetudine, nec ex Regula ad illam tenebantur.

Tertio. Sanctimonialium, Monialium, seu Religiosarum nomine intelliguntur illæ, quæ tria vota Solennia juxta aliquam Regulam à Sede Apostolica approbatam emiserunt, & hæ ex præcepto S C. *Tridentini* ad clausuram obligantur, nisi ex fundatione ad inserviendum ægrotis intra domicilia, quæ inhabitant, obligentur; tunc enim ad Clausuram adstringi nequeunt, manente ista fundatione aut contractu, quia ad clausuram quæ ex præcepto Ecclesiæ est, ideoque juris tantùm Ecclesiastici cum tanto boni politici damno Papa & Episcopi Germaniæ, ac Belgii nolunt obligare.

Quarto.

Quarto. Multis certè inconvenientiis obviaretur, si ad clausuram adstringerentur omnes Moniales, illis solis exceptis, quæ ex instituto sororum Cellitarum adhibentur extra sua cœnobia ægrotantium servitiis, præter Moniales deputatas nulla extra claustrum vagandi aut ancillarum instar serviendi licentiam habeat. Pro servitio virorum infirmorum exponantur fratres cellitæ, quos hic Coloniæ Alexianos ab Ecclesiæ eorundem Patrono vocamus.

Quinto. Conscientiam gravant, & enormiter delinquunt dictarum Sororum superiorissæ, quæ quibusdam abusibus tollendis impares negligunt recurrere ad Superiorem, qui per se vel per Commissarium efficaciter emendare sciet supposità informatione. Nunquam cum infirmis, aut cum earundem amicis iter faciant extra Civitatem sine expressa licentia illius, cujus interest; hæc licentia ut concedatur, cautissimè circumspiciantur circumstantiæ, ne postea sine fructu pœniteat.

Sextò. Moniales à clausuræ legibus utpote juris Ecclesiastici possunt, supposito, quod absit scandalum, & periculum, vel ex toto, vel ex parte excusari per contrariam consuetudinem, aut quia receptæ non sunt. Moniales ordinis nostri, quæ Clarissæ mitigatæ à S. Sede nuncupantur, ob fortius voti vinculum, quo sese obligarunt ad Clausuram juxta præscriptum regulæ servandam, tenentur perpetuo manere intra ambitum murorum, qui interius conventûs Claustrum circumdant.

Septimo. Leges clausuræ sunt 1. Ne egrediantur septa claustri. 2. Ne extraneas personas intra ea septa ingredi concedant. Juxta Constitutionem Pii V. quæ incipit: *decori.* Monialis emisso voto Clausuræ, aut alias professa sub præcepto ad illam obligata sine licentia in scriptis obtenta clausuram egrediens, sicut & Superior sine justa causa licentiam illam concedens, & omnes, qui dicto modo egressam scienter recipiunt, aut comitantur, incurrunt excommunicationem majorem Pontifici reservatam ipso facto sine ulteriori declaratione; superior insuper sine causa egressum permittens fit inhabilis ad omnes dignitates, & officia, aliisque quibuscunque habitis privatur. Bullam hanc in Germaniâ & Belgio publicatam non esse, & censuras dictis ex causis non incurri, communiter sentiunt Canonistæ & Theologi, sæpe tamen repetitis Constitutionibus egressus Monialium etiam per Archiepiscopos nostros est severissimè vetitus.

Octavo. Causæ, propter quas Moniales exire queunt, à *S. Pio quinto* assignantur sequentes, scilicet periculosum incendium, pestis, epidemia, lepra, aut similis morbus contagiosus, vel alia causa æque gravis aut gravior, qualis est inundatio, incursus hostium sive catholicorum, sive hæreticorum, aut infidelium, ubi prudenter prævidemus, honorem Monialium, & forte vitam ipsam periclitari.

Nono. Hisce adjiciunt aliqui pro causâ exeundi sufficiente morbum, aut vulnus, à quo in Monasterio vel nullo modo, vel non nisi maxima

xima cum difficultate curari poteſt, dum accedit teſtimonium conſcientioſi Medici, quod extra Monaſterium ſpes curationis adſit; dicunt, qui ita ſentiunt: conſervatio & defenſio ſuî ipſius contra morbum periculoſum eſt juris naturalis. Item: lex humana non obligat cum periculo vitæ: obſtat, quod ſpes incerta commodi corporalis comparetur malè cum periculo certiore damni ſpiritualis. Item, quod certum ſit commodum animæ, ſi Moniales non egrediantur, nimis autem incerta foris curatio. In Monaſteriis laxioribus frequentiſſimi ſunt caſus, in quibus etiam per faventium Medicorum teſtimonia probatam neceſſitatem afferri conſtat, in ſtrictioribus autem vix aliquando de remediis extra Monaſterium quærendis cogitatur.

Decimo. Clariſſarum Regula etiam permittit exitum Moniali tunc, quando neceſſarium eſt, ut illa ſuſcipiat regimen alterius ejuſdem ordinis Monaſterii ad inſtituendam correctionem, reformationem, aut ædificationem, vel etiam, ſi totus Conventus mutet habitationem. Hæ cauſæ etiam ſunt juſtæ in ſtrictiſſimis ordinibus Carmelitarum Diſcalceatarum, & Clariſſarum, cum tunc quæratur non relaxatio, ſed propagatio ordinis, aut diſciplinæ vigor.

Undecimo. Incorrigibilitas alicujus Monialis non eſt cauſa egrediendi, quia pro correctione potius eſt cuſtodienda in Monaſterio, nec juſta cauſa eſt, ſi Monialis intendat viſitare parentes infirmos. Excuſatio, quæ à multis captatur ex more ſeu conſuetudine legitimè intro-

ductâ, sine fundamento à quibusdam prætenditur, speciatim à Clarissis aliquibus, quia dum hæ voto Clausuræ se obligant ad eandem, ut in Regula continetur, servandam, animadvertendum illis est, quod ejusmodi casus non excipiantur in Regulâ.

Duodecimo. Quod si Moniali ad Clausuram strictè non obligatæ concedatur licentia, ut visitet Parentes infirmos, non permittatur, ut illis tempore morbi sit à servitiis, quia productâ in longum tempus infirmitate sperare videbitur longiorem moram extra Monasterium; & redibit animo turbulento, cum distractiones diuturnæ impedient, quo minus obligationi Monasticæ satisfaciat; in simili casu non sine dispendio disciplinæ Monasticæ ab aliis simile liberioris vitæ oblectamentum exspectabitur.

Decimo tertio. Ex *Trid.* Sess. 25. c. 5. de *Regularibus*, & ex *Constit. Pii V. cura Pastoralis* certum est, quod quælibet persona cujuscunque sexûs, aut conditionis ingrediens Clausuram conventûs Monialium sine licentia legitimi Superioris, non ex necessitate, sed ex pravâ intentione, incurrat excommunicationem ipso facto, sicut & privationem ab officiis acquisitis, & inhabilitatem ad illa, aut alia inposterum obtinenda. Transgressio illa intrantis Clausuram admittit parvitatem materiæ, ut siquis per spatium duorum triumve pedum ingrederetur hortum, aut ambitum.

Decimo quarto. Prohibitio hæc *Tridentini* de non ingrediendo Clauſuram afficit præcipuè perſonas uſum rationis ſufficientem habentes, pueri & puellæ ſub hac prohibitione continentur, etſi eo uſu rationis non polleant, ut præcepta quæque Eccleſiaſtica agnoſcant, poſſunt tamen, eos, eaſve videndo, tangendo, ſuſcitari noxia phantaſmata, præterea circumcurſitando cauſant diſtractiones importunas; ſicubi tamen duorum, trium, quatuorve annorum puer aut puella intret, non eſt reatus peccati. Amentes penitus non admittantur, quia ad peccata movere poſſunt, corporaliter poſſunt nocere, turbare tranquillitatem ad meditationes, aliaſque functiones neceſſariam.

Decimo quinto. Dum *Tridentinum* in caſibus neceſſariis ingreſſum in Clauſuram permittit, non quælibet utilitas, ſed neceſſitas ipſius Monaſterii requiritur, ſic ingrediuntur opifices neceſſarii pro reparando, aut conſtruendo ædificio, pro fodienda terra, aperiendo ſepulchro, & aliis laboribus peragendis, quæ à Monialibus perfici nequeunt.

Decimo ſexto. Confeſſarius ingredi poteſt, ut infirmis tum in adminiſtratione Sacramentorum, tum in morte aſſiſtat, idque toties, quoties ingreſſum illius requiret alicujus infirmæ devotio, aut ejuſdem indiſpoſitio; ingredi quoque poterunt, qui neceſſarii ſunt ad portandum alicujus defunctæ funus, & ad eam ſepeliendam, prout in praxi abſque diſpendio diſciplinæ regularis obſervatur. Similiter ingredi poteſt Viſitator cum ſuis aſſiſtentibus, ut muneri ſuo ſatisfaciat.

Decimo septimo. Permittitur & ingressus Medicis, Chirurgis, & omnibus illis, qui requiruntur ad debitam personarum Regularium conservationem, & gubernationem tum corporalem, tum spiritualem, & quidem si casus sint ordinarii, de licentia Abbatissæ, si vero extraordinarii fuerint, de licentia legitimi Superioris in scriptis obtenta, qualis respectu subjectarum Episcopo est ipse Episcopus authoritate ordinariâ, & respectu Monialium exemptarum Episcopus authoritate delegatâ quoad Clausuram, si desuper ad eum deferatur querela. Superior Regularis, ubi est observantia, concedit pro exemptis Monasteriis licentiam intrandi.

Decimo octavo. Finita causa ingressûs statim exeundum est, sicut finita causa egressûs statim est redeundum, & siquis traheret moram longiorem, posset peccare graviter, non tamen incurreret censuram, quæ cadit super ingressum, & egressum sine licentia, & necessitate.

CAPUT VI.

QUID OBSERVANDUM CIRCA MONIALES SCRUPULOSAS, ET MERAS IMPERFECTIONES CONFITENTES.

Præter illa, quæ supra de scrupulosis attulimus, observanda hic sunt sequentia:

Primo. Dum animadvertitur, Monialem esse scrupulosam super præcedentibus confessionibus per anxietatem, an habuerit verum

rum dolorem, aut eum nunc habeat, instruatur, dolorem esse internam mentis tristitiam, nec ad illum requiri sensibiliter perceptibilem cordis teneritudinem, aut lachrymas physicè defluentes, *cor* enim *contritum* per meditationem intellectûs, Deum sanctum, & suam animam sordidam cogitantis, ex hâc confusione *humiliatum non despicit* benignus Dominus, illi autem scrupulosi, (qui contra monitum Apostoli innituntur prudentiæ suæ) non habent cor *humiliatum usquequaque*, dum Confessariis non obsequuntur, sed quasi *prudentes apud semetipsos* juxta phantasticas suas regulas, quas quotidie pro normâ suæ pietatis sibi præfigunt, pergunt. Si Monialis hoc morbo spirituali infecta cœperit fortiter contra hanc occultam superbiam pugnare, cito intelliget, dolorem se habere sufficientem ad petendam Absolutionem.

Secundo. Anxia Monialis de sufficientia propositi, eo quod præviderit, aut prævideat relapsum, doceatur, quod possit consistere prævisio relapsûs in peccatum, seu vehemens conjectura, se denuo tentationi succubituram cum firmo proposito non peccandi, quia prævisio illa, seu potiùs conjectura est actus intellectûs, propositum verò illud ad voluntatem pertinet; si ergo pœnitens, quando confitetur & absolvitur, in se sentiat veram à peccatis aversionem, & non cum simulatione, aut merè verbaliter sed ex animo velit illa imposterum non ampliùs committere, & in auxilio divino confidat, potest cum filiali affectu anxietatem excutere.

Tertio. Solent Moniales ſcrupuloſæ reverti ad Confeſſarium ſtatim poſt confeſſionem, & ante communionem, rationem dant, quia verentur, ne quid lateat, quod angorem induxerit, an tutæ in conſcientia & ſatis ſint diſpoſitæ: his dicat, ſi iterum iterumque redeatur, Confeſſarius fatigatur, creſcet anxietas, quare dehortetur illas à frequente illo acceſſu, ſi benigno hortatu non vincantur, *arguat*, *increpet*, ſed cum *patientiâ* doceat, quod anxia illa ſollicitudo ſit verſutia Diaboli tentatoris, qui ſuggerit frequentem reditum, ut diſtrahat animum à devotione, & ſub prætextu majoris munditiæ & diſpoſitionis ſurripiat tempus illud, quod ad præparationem tanti Sacramenti deberet impendi, & certiſſimè impenderetur, ſi nubes illa mentis ſerenitatem non tolleret.

Quarto. Quæ cum triſtitiâ dicunt, innumeris ſe peccatis venialibus eſſe obſtrictas & tanquam *nec calidas* amore Dei, *nec frigidas* per mortalia, *evomendas* tamen eſſe tanquam tepidas per venialia, doceantur, quod, ut omni veneratione digniſſimum Sacramentum fructuosè ſuſcipiant, ſufficiat certitudo moralis de præſenti ſtatu gratiæ, & quod tanta diligentia mundationi conſcientiæ fuerit adhibita, quantam quis adhibuiſſet operi, ex quo maximum lucrum ſperaret; majorem enim ab homine diſpoſitionem benignus Deus non exigit, qui ſciens infirmitatem noſtram nihilominus præcipit, ut panem hunc Angelicum deguſtemus Joan. 5. dicens: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis. . . . non habebitis vitam in vobis.*

Quinto.

Quinto. Si Monialis queratur, se destitutam dulcedine spirituali in operibus devotionalibus, & propterea dubitare incipiat de salute sua, fortiter est animanda, & illi proponendum, quod dulcedo illa spiritualis & devotio sensibilis non sit signum infallibile charitatis, quia personæ sanctissimæ haud raro ad longum etiam tempus eadem caruerunt, & in ariditate hæserunt, permittente id Deo, cujus judicium hoc sapientissimum non tantùm, sed & nobis saluberrimum est, ne has delicias tanquam mercedem exspectemus, dum visio Dei, & ejus perpetua fruitio sint multo dignius objectum spei nostræ, quæ vult, ut sursum corda habeamus ad Dominum, sicut Apostolus etsi sæpe *superabundaverit gaudio*, aliquando tamen mœrore tanto fuit afflictus, ut *tæderet eum vivere, ac dissolvi cuperet.* Imo gratior est Deo sæpe anima in tali desolatione constituta, quàm si magna & sensibili devotione affluat. Sancta Ancilla Dei Theresia in ista pressura non erat Domino vilior, quàm dum cum eo deliciabatur. In humilitate tanquam fundamento omnium virtutum securior permanet anima, quàm dum sensibili devotione, & devotâ dulcedine quasi inebriatur. Ingeminabit inter internas tribulationes cum Propheta Regio: *utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.*

Sexto. Dum impertinentia, & sacro tribunali incongrua adferunt Religiosæ Sorores, paternè corripiantur, & moneantur, sola peccata propria, vel aliena, per quandam participationem culpæ appropriata, esse materiam ad sacrum hoc confessionis tribunal pertinentem, ac proinde

de peccatis commiſſis, & non de impertinentibus inſtituendam eſſe confeſſionem. Cogitetur â talibus reprehenſio, quâ S. Petrum Chriſtus arguebat: *Quid ad te? Tu me ſequere*, id eſt: tibi intende, ut non damneris.

Septimo. Imperfectio ſtrictè eſt actio vel omiſſio conſiliis, vel inſpirationibus divinis, aut etiam ſuperiorum voluntati ad peccatum non obliganti adverſans, reprehendenda quidem eſt ejuſmodi imperfectio, utpote Deo & hominibus diſplicens, non ſemper tamen propriè peccatum, aut culpa etiam venialis dici poteſt.

Octavo. Ad imperfectionem pertinet, ſiquis contentus ſit virtute vulgari; ſi non pareat Deo vocanti ad ſublimius vitæ genus, ſi illa magni faciat, ac multum amet, quæ mundus impensè diligit; ſi ſolatia honeſta, atque commoditates licitas in victu, aut veſtitu quærat, aut optet; ſiquis perfunctoriè agat, quæ agenda ſunt, ſi dicat, aut faciat illa, quæ adverſantur civilitati aut politiæ, ſic indecorum eſt multiloquium, garrire more ruſticano verba otioſa.

Nono. Imperfectio pariter eſt inſpirationibus divinis non obedire cum lætitiâ cordis, finem bonum actionibus indifferentibus non præfigere, modeſtiam, manſuetudinem in omnibus accuratè non obſervare, ſubſtantialiter ſufficientem quidem, ſed aliquatenus acceleratam præparationem adferre ad confeſſionem, aut communionem, non commoveri infelici eventu rerum ad proximos pertinentium, opera mortifica-

tionis

tionis declinare, cum aliquâ delectatione sensuali comedere & bibere, curiosè aliqua sciscitari, quæ nullius momenti sunt.

Decimo. Sunt hic quoque & aliæ imperfectiones, quarum cognitio ad statum Monialium melius investigandum, & ad faciliorem vitæ Religiosæ observantiam conducunt, quales sunt: transgressio Regularum sub nullo peccato obligantium, omissio quorundam exercitiorum spiritualium, amor sensualis & proprius ob existimatam in aliquibus externis præcellentiam super cæteras, particularis duarum triumve amicitia aut familiaritas cum exclusione aliarum, has imperfectiones omnino exprimendas esse suadent multi, rectè docentes, quod transgressio Regulæ sine peccato accidere non possit, si deliberatè sine ullo conatu spiritualiter proficiendi agatur contra Regulam, quoties offertur occasio; quia membrum cujusque communitatis obligatur etiam in conscientia ad conformitatem partis cum suo toto in servandis statutis suæ communitatis. Saltem

Undecimo. Reprehensione digni non sunt illi Monialium Confessarii, qui permittunt quascunque imperfectiones aperiri in Sede confessionali, modo caveatur impertinens eloquentia, & ad licitè dandam absolutionem advertatur, an materia sit sufficiens, & an sufficientis materiæ fiat conveniens accusatio cum Spiritu pœnitententiæ, an vero quasi ex consuetudine. Accedit, quod quædam pro merâ imperfectione nullam peccati rationem habente à laxioribus repu-

ten-

tentur, ùt juxta damnatas, *comedere, bibere ob solam voluptatem*, etsi non excedatur moderatio debita ultra, sed *usque ad satietatem*; ideo severitas Christianæ ethices non concedit, facilè deesse materiam sufficientem, si doceantur fideles, quàm facilè à recto tramite aberretur, & quàm necessarium sit petere, ut dimittat Dominus noxas quotidianas. Etiam devoto fœmineo sexui interdum danda patiens auscultatio, ut congruâ informatione ad tranquillitatem interiorem perducantur.

Duodecimo. Ne tamen, dum tales charitatem & patientiam à Confessario desiderant, ipsæmet verbosâ sermocinatione tempus consumendo, aliis confiteri volentibus molestiam inferant, ex charitate intendant brevitati: assuefient paulatim verbis paucis & distinctis peccata sua manifestare, confessiones enim solito prolixiores sæpe aliud non sunt, quàm ex vano suî amore proveniens muliebris loquacitas, quæ forsan, quod Deus avertat, Sacramentum effectu pro eâ vice destituet, ut melior non exeat, quàm intravit.

Decimo tertio. Dum nihil præter imperfectiones profertur, expedit aliquando, ut peccatum certum ex anteriori vita aperiatur, ut vitetur defectus materiæ & Sacramenti nullitas, quo super consulatur Theologia Eximii Authoris *Tract. de pœnitentia*. Cumque sæpius confiteri soleant Moniales devotæ peccata venialia reiterata plerumque aperientes, maximè laborandum, ut verum de illis dolorem concipiant, & firmum faciant propositum illa evitandi. e. g. Contra fractionem

tionem frequentem silentii explicetur, quantopere sancti Fundatores, & Fundatrices commendatum voluerint silentium, contra distractiones frequentes ostendatur, ex curiositate audiendi novitates phantasiam impleri variis repræsentationibus præsertim inter cultum Dei, contra frequentes omissiones partium officii Canonici, aliarumve precum explicetur, quare accdia peccatis capitalibus accenseatur, contra libidinem proponat imprudentiam non fugientium pericula, quæ leviores excessus comitantur, ùt jocos verbales, curiosas mentis speculationes: sic ex confessione se offeret occasio excitandi dolorem supernaturalem super venialibus. Addetur utiliter sententia Evangelica: cui multum datum est, multum requiretur ab eo, strictius judicandas esse Regulares, quàm ruriculas &c.

CAPUT VII.

QUID OBSERVANDUM CONFFSSARIO CIRCA MONIALES PECCATA ETIAM GRAVIORA ADFERENTES.

Primo. Quamvis Moniales ad Dei cultum se pro totâ vitâ suâ devoverint, nihil humani tamen à se alienum esse sciant; nempe ad meritorum augmentum obnoxiæ sunt humanis infirmitatibus, nullis Cancellis arceri potest tentator Diabolus ab ingressu Clausuræ: sicut Christum in solitudine orantem & jejunantem accessit, ut sanctis etiam Scripturæ verbis

verbis ad graviſſima peccata ſeduceret, ita fideles Chriſti famulæ non mirentur, ſi ad gravia delicta ſe tentari animadvertant, ſed per Chriſti in deſerto victoriam animentur ad fortiter certandum. Si qua infeliciter ſuccumbat, medium pœnitentiæ à Chriſto præparatum amplectatur, ſed curato vulnere timeat certaminis inſtaurationem, ſicut Matth. 12. malignus Spiritus inveniens *domum ſcopis mundatam & ornatam, vadit & aſſumit ſeptem alios Spiritus nequiores ſe.* Si qua delicti gravioris ſe accuſet, Confeſſarius ût mente, ita & voce oſtendat, quàm benignè & cupidè ſalutem animæ afflictæ deſideret, ut ante curationem vulnus ſincerè detegatur, ac deinde tanto utilius medeaturpericlitanti.

Secundo. Dum grave quoddam peccatum reprehenſionem meretur ob ejus frequentem repetitionem, aut modum, Confeſſarius reprehenſionem congruam ad finem uſque completæ confeſſionis differat, ne turbatæ obliviſcantur aliorum, aut perterritæ ex verecundiâ aliquod eorum, aut circumſtantias forſan ſpeciem mutantes omittant.

Tertio. Si Monalis confiteatur, quod pacem in communitate perturbaverit ſeminando diſſidia inter Sorores, præter culpam gravem, quam contraxit, manet obligata ad inquirenda media, ut diſſidia illa tollat, & pacem turbatam reducat etiam cum aliquâ ſuî ipſius confuſione e. g. Si per mendacium ſuſcitaverit diſſidium, quia tanquam membrum unionem communitatis promovere tenetur; ad emendationem procurandam,

dam proponat Confeſſarius damna & mala, quæ ex Zizaniis hujuſmodi naſcuntur, cum ſine pace Monaſteria non ſint dilecta tabernacula Jacob, ſed potius Latebræ inferni, oſtendat, quid Deus per S. Scripturam declaraverit de eo, qui *ſeminat inter fratres diſcordias.*

Quarto. Monialis peccata venerea confitens ſerio & paterne eſt reprehendenda, & ſi Confeſſarius advertat, quod peccata illa reiterentur ex nimia familiaritate, & conventiculis cum perſonis alterius ſexûs, proponat obligationem gravem evitandi proximam peccandi occaſionem, oſtendat eo ſpectare parabolam de eruendo oculo, amputanda manu ſcandalizante, ut doceamur, quoquo modo rumpendam eſſe ſocietatem, quæ animas ducit ad interitum. Attentis circumſtantiis procedat eo modo, qui ſupra adductus eſt, ubi agitur de occaſione peccandi.

Quinto. Si Monialis confiteatur, quod verba contumelioſa protruſerit in Superiorisſam, peccavit mortaliter, ſi circumſtantiæ ſint tales, ut propter obedientiam ei exhibendam Monaſtica ejus gubernatio fiat infructuoſa, & religioſa perfectio valde imminuatur. Virtus obſervantiæ ſuperioribus debitæ in omni communitate vigere debet, maximè autem in communitate religiosâ. *Abſcondunt odium labia mendacia, qui profert contumeliam, inſipiens eſt.* Prov. 10. Cap.

Sexto. Si Moniales ſeſe invicem contumeliis afficiant in materia levi, & fœmineâ ex verboſitate, aut ex ſubitâ irâ prorumpant in verba con-

contumeliosa, peccant solùm venialiter, quia qualitas contumeliæ pensanda est tum ex ipsa materia, ex genio, educatione, consuetudine, intentione; si graviter deliquisse comperiantur, prout ordinariè in hac materia delinquunt, incentrices factionum, & debitæ subordinationis turbatrices, obligentur ad reparationem honoris.

Septimo. Reparatio honoris per contumeliam ablati fieri potest vel per extraordinariæ benevolentiæ ostensionem, aut honorificam salutationem, ut si superior inferiorem læsit; aut per officiosæ reverentiæ exhibitionem, si par parem, vel per veniæ petitionem, si inferior superiorem læsit, prudens Confessarius considerato genio, qualitate injuriæ arbitretur, quid justum, aut æquum sit, inordinatus amor proprius, mens ad suspiciones prona, nimium credula cito irascitur ex causis minus providè libratis, & tenax est irarum, quæ Confessarius Monialium eo diligentiùs à Monasterio debet arcere, quo majora ibi exinde damna proveniunt.

Octavo. Confessarius advertens, quod Monialis ab alia consorore injuriam passa nolit idcirco illam salutare, aut salutantem resalutare, eam adhortetur, ut si gravis momenti sit injuria, sibi satisfieri quærat apud Superiorem, sed eâ præstitâ non abstineat à signis communibus charitatis, cum omissio salutationis, & resalutationis indicia sint odii aut contemptûs, & per longam moram hoc malum invalescat, & aliæ per partium studia attrahantur ab alterutrâ diffidentium.

Nono.

Nono. Superiorissa à subdita publicè injuriata potest aliquo tempore ad correctionem necessario communia illa signa omittere, tum in pœnam delinquentis, tum in exemplum aliarum, ut hæ à simili exorbitantiâ magis deterreantur, subdita si emendata fuerit, aut delicti veniam humiliter exposcat, tanquam filia à pia Matre suscipiatur. Caveat hæc scandalum, ne suo exemplo aliæ se paulatim conforment, retardando reconciliationem.

Decimo. Si Monialis scripserit Literas anonymas contra aliquam ex Consororibus, & in illis manifestaverit delicta gravia occulta, etsi vera, haud dubiè peccavit mortaliter, cum animi sui vehementem ab illâ aversionem ostendat, & bonæ famæ sui monasterii valdè noceat. Quæ autem obligatio ad restitutionem nascatur, satis in Tract. de Restit. docent Authores, Siqua ad Monasterii superiorem literas tales dederit, supposito quod sciens falsa scripserit, debet manifestare superiori calumniam. Si vera scripserit, etsi ex motivo iræ, vindictæ, non tenetur revocare denuntiationem, cum non contra justitiam, sed tantùm contra charitatem peccaverit. Si ipse superior contra verè ream excedat in modo, est ejus solius culpa, quia denuntiatio, etsi occasionem dederit, nullatenus influit moraliter in illum excessum.

* * * *
* * *
* *
*

CAPUT VIII.

QUID CIRCA ABSOLUTIONEM MONIALIUM à RESERVATIS?

Primo. SIcut S. Synodus Trid. censuit *magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere*, *quod atrociora* quædam & graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus (Papâ, aut Episcopis) absolvi possint, quâ reservatione intendit S. Mater Ecclesia, ut fideles ab iis efficacius deterreantur, ita & Religiosorum Ordinum superioribus potestatem dedit quædam delicta sibi reservandi, ut scandala caveantur, & Religiosa disciplina certiùs conservetur, sed cum quidam superiores hâc facultate abuterentur, nimis multiplicando numerum, infirmitati humanæ paternâ providentiâ consuluit Clemens VIII, & pro Regularibus peccata reservata limitavit, non quod hæc omnia, quæ expressit, in omnibus ordinibus Regularibus reservanda essent, sed ex iisdem expressis plura, aut pauciora, prout in Capitulis Generalibus aut provincialibus visum fuerit expedire.

Secundo. Constitutiones Ordinis nostri Seraphici *in Cap.* 7. *Reg.* Titulo 1. sic referunt: *cum satis reipsa compertum sit juxta Clementis VIII. Constitutiones, quod reservatio facultatis absolvendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam gravioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderate illa utantur, nonnullos infirmiores,* *qui*

qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedii desperationem, ideo, ut huic malo opportunè prospiceretur, præfatus Pontifex decrevit, ut nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutionem sibi reservet, exceptis his, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati magis conferre prudenter in Domino judicaverint.

Tertio. Casus expressi sunt sequentes: 1. *Veneficia, Incantationes, Sortilegia.* 2. *Apostasia à Religione sive habitu dimisso, sive* retento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii seu Conventûs fiat egressio. 3. Nocturna, ac furtiva à Monasterio, seu Conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto. 7. Falsificatio manûs, aut Sigilli officialium Monasterii seu Conventûs. 8. Furtum de rebus Monasterii in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ. 11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio literarum à Superioribus ad inferiores, & *ab inferioribus ad superiores. Si quod tamen aliud peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videbitur,*

id non aliter fiat, quam generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione & consensu. Ex his patet

Quarto. Quod non teneantur Prælati omnes istos casus reservare, sed possint vel omnes undecim à Clemente VIII. expressos, vel eorum aliquos, non autem alios ibi non expressos nisi per generale Capitulum pro toto Ordine, aut Provinciale, pro provinciâ. In nostra Religione omnes sunt reservati, prout videre est ex Constitutionibus citatis, & hisce casibus etiam subjacere Moniales Ordinis nostri verior est sententia, quamvis enim in Capitulis generalibus, aut etiam in statutis Ordinis, in quibus reservati sunt casus, nulla Monialium fiat mentio, cum tamen sint pars ejusdem Ordinis, & æque subjiciantur Ministro Generali & Provinciali ac cæteri Ordinis nostri Religiosi, ad eas reservatio se extendit, sicut pro sæcularibus non fit in puncto reservationis sexuum diversitas.

Quinto. Dum aliquis à Patre Provinciali instituitur ordinarius Monialium Confessarius, conceditur ipsi facultas absolvendi à casibus in Ordine reservatis, quia expedit rigorem illum benignitate S. Matris Ecclesiæ temperari; ne transitus Superiorum ad Monasteria Monialium multiplicati causent judicia temeraria; Eadem illa facultas etiam extenditur ad Confessarium extraordinarium, & quidem ex causâ urgentiore, quàm quoad ordinarium Confessarium.

Sexto.

Sexto. Non tamen dicta facultas extendatur ad caſus Pontifici reſervatos, niſi id ſpecialiter exprimatur, aut aliunde facultas illa habeatur, quare ſi caſus hujuſmodi occurrant, recurrendum eſt ad legitimum Superiorem pro obtinenda ſpeciali ejus licentia.

Septimo. Quando Monialis ordini noſtro ſubjecta habet caſum in Ordine reſervatum, & ex cauſa rationabili confiteri recuſat Confeſſario ordinario, petens alium pro Monialibus tamen approbatum, poteſt ab illo abſolvi, etiam negata facultate à Superiore, id enim præfatus Pontifex ſufficienter declaravit his verbis: *Ut, ſi hujuſmodi regularium Confeſſariis casûs alicujus reſervati facultatem petentibus ſuperior dare noluerit, poſſint nihilominus Confeſſarii illa vice pœnitentes regulares etiam non obtenta à Superiore facultate abſolvere.*

Octavo. Tanta in foro pœnitentiæ eſt Regularium Prælatorum majorum facultas reſpectu Religioſorum ſibi ſubjectorum, quanta pollent Epiſcopi reſpectu Diœceſanorum, ac proinde authoritate ordinaria poteſt Miniſter Generalis noſter in toto Ordine, & Provincialis in tota Provincia reſpectu Fratrum & Monialium ſibi ſubditarum abſolvere ab omnibus caſibus, à quibus ſuos Diœceſanos de jure abſolvunt Epiſcopi, quia in ſuos habent Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem, quæ in foro pœnitentiæ, ubi res pacifice & ſecreto peraguntur, ſine ulla Epiſcopi Diœceſani, aut Diœceſis perturbatione exercetur, facultatem iſtam Pius, V. Rom. Pontifex con-

concessit Dominicanis, habent hanc consequenter alii cum iis in privilegiorum participatione communicantes; dixi : *respectu Religiosorum sibi Subjectorum*. S. Congregatio Concilii consulta ab Archiep. Colon. Clem. Aug. respondit, extra mortis periculum sæculares à Confessario regulari absolvi non posse à casibus Ordinario reservatis.

Nono. Quoad casus superiori Regulari reservatos possunt Superiores regulares ordinis exempti, vel non exempti absolvere sibi subjectos utriusque sexûs. Novitios, sive investitio sit facta, sive juxta ordinis morem dilata, posset superior Regularis ac etiam Sacerdos sæcularis validè absolvere à reservatis Episcopo, Groten Spec. Relig. p. 4. Sp. 20. Possunt etiam absolvere ab omnibus casibus Pontifici reservatis & occultis, quia eandem facultatem Episcopis respectu Diœcesanorum tribuit Trid. Sess. 24. c. 6. de reform. dicens : *Liceat Episcopis. . . in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari.*

Decimo. S. Congr. in causis Episcoporum & Regularium A. 1628. 17. Nov. declaravit validè absolvere nullatenus posse Regulares quoscunque à casibus in Bulla cœnæ contentis, aut ordinario loci reservatis. Privilegium datum Regularibus datum censetur cum limitatione, quam S. Sedes voluit. Regulares cum licentiâ itine-

itinerantes ſeu Fratres, ſeu Moniales poſſunt à Regulari alterius ordinis etiam tantùm pro ſuo Conventu à ſuo ſuperiore approbato abſolvi etiam à reſervatis ob defectum Confeſſarii habentis facultatem, ſed tunc poſtea habens occaſionem domi reſervata confitendi tenebitur repetere. Ita Benedictus XIV. Brevi Apoſtolico Signato 1742. 30. Mart. *Cuilibet eorum* (Regularium) *dum extra clauſtra moratur cum bona veniâ Superiorum, & in loco, ubi non alius quiſpiam ejuſdem Ordinis reperiatur, facultatem conceſſimus confitendi, & abſolutionem recipiendi à quocunque Sacerdote, qui vel Sæcularis à ſuo ordinario, vel Regularis à ſuo ſuperiore ad confeſſiones audiendas ſit approbatus; quam facultatem extendimus ad caſus juxta Conſtitutionem ordinis reſervatos, & ad cenſuras, in quas inciderint, addita tamen obligatione (ubi primum potuerint) coram Superiore ſeſe ſiſtendi, & novam ab illis caſibus, & cenſuris abſolutionem impetrandi.*

CAPUT IX.

DE OBLIGATIONE SERVANDI SIGILLUM SACRAMENTALE.

Primo. Eò attentiùs Monialium Confeſſarius ſigillum Sacramentale cuſtodire debet, quò faciliùs propter familiarem, & quotidianam inter ſe ipſas conſuetudinem perſpecto genio & moribus altera ex alterius poteſt nutu,

 geſtu,

geſtu, ſermone peccata ab aliis in confeſſione manifeſtata deprehendere, ne inde ſuſpiciones aut formari, aut formatas roborari faciat Confeſſarius, caveat, ne dicto vel facto oſtendat aliquid, ex quo oriri poſſit ſigilli violatio. Pro ulteriori notitia

Secundo. Frangit ſigillum Confeſſarius dicens, quod audiverit in Monaſterio peccatum mortale, quamvis Monialem confeſſam non nominet, ſicut & ſi dicat, quod ſæpe ad Superiorem recurrrere debeat ad obtinendam facultatem abſolvendi à peccatis reſervatis, quod non abſolverit Monialem aliquam, nihil addendo, imò etiamſi addat, quod non abſolverit ob confeſſionem nondum perfectam ſuperveniente impedimento, hujuſmodi enim ſermones apud Moniales prolati ſtatim offendunt harum, & aliorum audientium aures, malam ſolent ingerere opinionem de ſtatu Monialis, niſi alioquin ſciatur, illam probatæ ac perfectæ eſſe virtutis, & conſcientiæ.

Tertio. Frangit ſigillum ſi dicat: non abſolvi Monialem à peccato illis noto, cum quibus loquitur, quia cuſtodia ſigilli per ſe obligat, ſcientia vero aliarum eſt per accidens, quod pariter tenet, ſi addat: non abſolvi Monialem à peccato publico & notorio, quia ſcandalo publico non ſatisfecit, peccatum enim licet ſit publicum, quod tamen acceſſerit ad confeſſionem ſine vera pœnitentia, cujus defectum indicat negata abſolutio, aliis non innoteſcit.

Quarto.

Quarto. Quando Confeſſarius excepit confeſſionem alicujus Monialis beneficio abſolutionis indignæ, adeoque ſine hac dimiſſæ, & interrogatur ab alia Sacriſtiæ inſerviente, num præparare debeat, quæ ad adminiſtrandam ſacram Communionem ſunt neceſſaria, reſpondendum eſt, quod interrogare debeat pœnitentem, an communicari deſideret, ſæpe enim Moniales confitentur, quin ad ſacram Synaxin accedant.

Quinto. Violat ſigillum ſi Confeſſarius dicat, hanc Monialem in ſede confeſſionali non adferre niſi impertinentia, vel hanc eſſe ſcrupuloſam, Simplicem, ſine reſolutione, ſalutaribus conſiliis obſtinatè reſiſtere, quando hujuſmodi defectus ex ſola confeſſione ſunt noti, quia hæc Confeſſarii manifeſtatio ordinarie diſplicet Moniali, & huic obeſſe poteſt, ne ad officia Monaſterii promoveatur, quare & confeſſio odioſa redditur.

Sexto. Per omiſſionem etiam ſæpe frangitur ſigillum, & præſertim in caſu, dum Confeſſarius interrogatus, an Monialem certam criminoſam abſolverit, non reſpondet, aut, an Monialis aliqua ſit honeſtæ vitæ, adeoque digna, quæ in Superioriſſam eligatur, & ad interrogationem factam tacet, quia ex taciturnitate Confeſſarii arguunt cæteræ in primo caſu, quod illam non abſolverit, ac proin modo quodam confuſo datur intelligi ſtatus illius Monialis, in ſecundo vero ingeritur gravis ſuſpicio.

Septimo. Confeſſarius delinquit contra ſigillum, ſi omittat conſueta humanitatis & chari-

tatis officia erga Monialem quæ confessa est, quod contra Confessarii actionem, & gesta murmuraverit, aut si ideo duriorem se, & asperiorem erga illam exhibeat, quia scientia ex confessione Sacramentali hausta est nescientia, & ex eo sequitur confusio, & vera displicentia pœnitenti, quæ similia oriri ex confessione facta facile advertet, ac proin Sacramentum hoc fit odiosum.

Octavo. Confessarius non potest uti scientia ex confessione acquisita, quamvis bonum sibi præfigat finem, si sit periculum revelandi peccatum directe vel indirecte, quare monere nequit Prælatum, aut Superiorissam, ut mutet consuetas claves, muros attollat, fenestras certas claudat, aut ad crates invigilet, licet hoc cederet in bonum pœnitentis, cui ex clavium mutatione, & muri elevatione tolleretur occasio ruinæ spiritualis; illicitum quoque est suggerere concionatori, ut in dictionibus vitium aliquod in particulari reprehendat, aut colloquium instituere cum Confessario extraordinario de peccatis alicujus Monialis, quæ ex confessione cognovit, quamvis colloquium istud ordinaretur ad regimen spirituale talis Monialis, quia ex ejusmodi locutionibus satis colligitur, Confessarium uti notitia confessionis, quod est contra sigillum.

Nono. Non violatur sigillum, si Confessarius speciali humanitate, & sollicitudine adjuvet Monialem, quam ex scientia in confessione acquisita novit tacuisse peccatum aut obscurius verbis ambiguis explicasse in præteritis confessionibus

prop-

propter verecundiam aut puſillanimitatem, quia ſigillum confeſſionis ex eo fine introductum eſt, ne Sacramentum hoc odioſum, difficilius, aut gravius fiat pœnitenti, quod hic accidere non poteſt, eo quod Monialis ægre ferre non valeat, ſed potiùs lætari debeat de modo charitativo Confeſtarii.

Decimo. Moniales quædam proprios defectus ſilentio obtegere non valentes de confeſſionibus peractis & injunctis pœnitentiis otiosè aliquando inter ſe coram Confeſſario colloquuntur, non ex intentione ſuam conſcientiam informandi, ſed ad oſtentationem ingenii, aut ex curioſitate, qualiter ſalvo ſigillo ſe expedire poſſit; verum eſt quidem, quod nemo quoad propria peccata ſigilli obligatione teneatur, ſed, à talibus otioſis colloquiis abſtinendum eſt, cum Confeſſarius non poſſit ſuper eo, quod pœnitentiam injunctam, aut examen pœnitentis, aut ſeveriorem reprehenſionem concernit, ſe defendere. Etiam nonnullæ extra confeſſionale Confeſſario varias quæſtiones proponere amant, Confeſſarius cum ſeveritate temperata per prudentiam diſcurſus in aliquo conſortio, ſeu à pœnitente, ſeu aliis ſuſcitatos de confeſſione interpellet & abrumpat; interrogationes iſtas incongruas eſſe oſtendat.

CAPUT X.

DE CONFESSARIO EXTRAORDINARIO.

Primo, NOn quemlibet ab Ordinario pro Monialibus approbatum eſſe illarum Con-

Confessarium extraordinarium, sed & hunc de licentia illorum, quorum interest, specialiter ad hoc officium esse deputandum nôrunt Theologi, tenentur tamen superiores constituere Monialibus Confessarium extraordinarium ad minimum bis aut ter in anno, prout præscribitur in *Trident.* Sess. 25. cap. 10. ut supra notatum est: *Bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat,* hæc S. Concilii dispositio est præceptiva, quoad vocem: *offeratur*, non tamen, quod singulæ totius conventûs teneantur confiteri toties tali extraordinario; sed

Secundo. Ex relatis verbis tenetur Confessarius extraordinarius omnes audire, si confiteri voluerint, & tenentur omnes, quotquot confiteri tunc nolunt, extraordinario se præsentare benedictionem ab ipso petendo, ne aut ordinario Confessario per hoc assentari velle, aut de aliis suspicionem causare videantur; ideo quæ sine intentione confitendi intrârunt confessionale, hoc debent aliis occultare.

Tertio. Superiorissa potest ex præsumptâ facultate superioris pluribus vicibus, quam ter in anno Confessarium extraordinarium Monialibus concedere, imo toties, quoties id rationabiliter petitur, id enim concessum esse videtur, quod expresse prohibitum esse non reperitur, potissimum si agitur de re animæ favorabili.

Quarto. Quando una pars communitatis discordantis ordinario Confessario confiteri nolens extraordinarium petit, superior perquisita dili-

gen-

genter causa perhorrescentiæ discretè concedat, aut neget extraordinarium, qui si mittatur, studeat omni modo componere animos diffidentes, contingit enim humanitus nonnunquam, quod Religiosæ aliquæ Confessarium ordinarium perhorrescant, ut liberiùs foveant sensa animi à Confessario ordinario improbata.

Quinto. Confessarius non in alio loco, quam ad confessiones excipiendas destinato Moniales audiat, ne sub specie boni operis præstandi decipiatur, potest tamen Monasterium ingredi pro confessione infirmarum, si ad Sedem confessionalem accedere nequiverint, cum infirmæ non sint deterioris conditionis, quam aliæ, etiam illis Confessarius extraordinarius concedi debet pro libertate conscientiæ, & pro spirituali Monialium consolatione, quâ potiùs indigent infirmæ, quàm sanæ.

Sexto. Non facile fidem adhibeat extraordinarius querelis Monialium contra ordinarium depositis, sed citra verborum contentionem illius partes tueatur contra querulantes, varia enim contra ordinarium ratione muneris quandam animorum aversionem excitare possunt, ut Confessarii vigilantia, reprehensio propter defectus, indecoræ ac perniciosæ libertatis restrictio, frequentium alloquiorum negatio, compotatio. religiosæ paupertati adversæ vanitates, singularitates deviantes à semita disciplinæ regularis magnam in quibusdam Monialibus ad libertatem & commoditates proclivioribus causam indignationis, querelarnm, & oblocutionum præbere consueve-

ſueverunt, adeo ut non tantum dicta & facta Confeſſarii ſolertius inveſtigent, ſed & ipſa bona opera in partem ſiniſtram interpretentur, ſequentes perverſum exemplum Mariæ ſororis Moyſis, verum ne in lepra contracta contabeſcant, Confeſſarii ordinarii fidem & authoritatem pro viribus defendat extraordinarius. Et

Septimo. Si neceſſarium judicaverit, acriter reprehendat Moniales curioſius minima etiam Confeſſarii facta inveſtigantes, in animo, præoccupato plus ad contemptum faciunt leves quædam culpæ, quàm ad venerationem & obſervantiam præſtantes virtutes; hortetur animas hoc morbo affectas, ut paci interiori ſtudeant, cujus ad conſervationem imprimis expedit, ut de iis, quibus regimen ſpirituale commiſſum eſt, curioſa non fiat indagatio, ut de ſuperioribus, Superioriſſis nunquam temerarium forment judicium, cum plurima in humanis actionibus prima fronte damnanda videantur, quæ, ſi accuratiore mente, depoſito inordinato affectu, inſpiciantur, probanda ſæpius erunt, aut ſaltem mitiore cenſura notabuntur, *noli judicare, & non judicaberis.* Qui pacem Chriſti deſiderat, ſæpe cogitet: *Quid ad te, tu me ſequere*, quo dicto Chriſtus Petri curioſitatem repreſſit.

Octavo. Cum proni ſint genii quarundam ad comminiſcendum gravamina, præſertim extraordinarius conqueri audiet otioſas de præceptis ſuperiorum, aut Statutis libertatem arctantibus; his oſtendat, quod juxta monitum Apoſtoli ſubditis

ditis

ditis imposita sit obligatio orandi pro præpositis tanquam ad vigilandum, & rationem Christo judici reddendam obstrictis, à quibus si per dissimulationem negligatur disciplina, ipsæ *sibi damnationem acquirent.* Ostendat multo facilius esse bene obedire quàm bene regere; fumosum honorem prælationis cito evanescere, sed mali regiminis pœnas esse diuturnas; ideo potius iis opem ferri per preces oportere, ut quoad spiritualia imprimis, tum & quoad temporalia præsint utiliter, & ea quæ videntur excusari non posse, corrigat. Ostendat, quod Deus *imposuerit homines super capita nostra*, & quoties præsidentium imperfectiones cogitantur, cito ad proprias sit reflectendum.

Nono. Si Monialis in quibusdam quid agendum, aut omittendum sit, Consilium ab Extraordinario petat, interrogetur, annon rem illam Confessario ordinario proposuerit, an & quale Consilium ab illo acceperit, illud opportunâ paraphrasi interpretetur Extraordinarius, & proponat, quod Consilium à viro prudente acceptum tuto sequi possit pœnitens; si vero res ista ordinario proposita non fuerit, prudens Consilium suppeditet Extraordinarius.

Decimo. Quando confessiones excipiuntur, non alia tractanda sunt, quam quæ necessaria sunt ad illas cum fructu perficiendas, evitetur digressio ad impertinentia etsi alias non mala, est enim Confessarius dispensator mysteriorum Dei, tanquam *fidelem servum* & *prudentem bene constitutum super familiam suam* probabit *Episcopus*

ani-

animarum nostrarum Christus, si juxta scientiam & conscientiam suam peragat hoc ministerium coram Domino omnia vidente.

Undecimo. Post confessionem peractam, si Monialis adhuc quædam adferat, pro illius consolatione eam audire non detrectet Confessarius. Si expedire judicaverit, confessiones anteactæ vitæ generales admittat, consideratis circumstantiis hanc aliquando dissuadere, aliquando suadere oportet. Ut major in conscientia pœnitentis nascatur tranquillitas, & fructus speratus obtineatur, nunquam impatientia, aut tædio aliquo affectum se ostendat Confessarius, ne suam potius commoditatem quærere & onus illud declinare videatur.

CAPUT XI. ET ULTIMUM

DE CONVERSATIONE EXTERNA CONFESSARII CUM MONIALIBUS.

Primo. Vix dabitur Confessarius Monialium, qui omnibus simul & indifferenter placet, cum pluribus placere difficile, omnibus sit impossibile, ut autem authoritatem, reverentiam, & æstimationem apud illas retineat, conversatio illius cum Monialibus sit moderata, & irreprehensibilis, nimia enim familiaritas parit contemptum. Dein

Secundo. Confessarius Monialium ad illa solum dirigenda, & judicanda destinatur, quæ ad forum internum conscientiæ, & ad regimen animarum

spi-

ſpirituale pertinent, quare ſe rebus domeſticis non immiſceat, nec regimen aliquod externum aucupetur, ne odioſus reddatur, &, dum unum ædificare intendit, alterum penitus deſtruat. Praxis quidem in aliquibus Monaſteriis eſt contraria, ſed minime laudanda, nemo poteſt duobus Dominis ſervire.

Tertio. Non ſibi arroget authoritatem, quæ convenit Commiſſariis, aut viſitatoribus, circa correctiones externas & publicas, neque curet minutiſſimas quaſque Monialium imperfectiones, hæc enim melius Superioriſſarum judicio relinquuntur, ne turbet ordinem inter Religioſas, & Superioſſæ apud illas deroget authoritati, aut neceſſariam impediat confidentiam; ſorores enim iſtæ Religioſæ utpote ſuſpicioſæ facile apprehendent, & timebunt, ne ex illis, quæ confeſſæ fuerint, aliquid exterius ſtatuatur, & quidem aliter, ac optant, quæ omnia non evenient, ſi Confeſſarius ſuo munere perfungens à regimine externo abſtineat, *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, poterit tamen quandoque interrogatus opportunum etiam circa externa ſubminiſtrare Conſilium,

Quarto. Indiscretus est zelus Confessarii, qui ad novas plerumque procedit ordinationes, dum advertit similes ordinationes esse contra voluntatem Superiorissæ, aut potioris partis communitatis, quia mulieres laudant & contemnunt ordinationem aliquam ideo, quia placet, aut displicet, raro sequuntur rationem, sæpius meram inclinationem, & licet aliquando illis exponatur vera ordinationis ratio, hanc tamen vix capient, dum adeo tenaciter contraria eis inhæret impressio, ac proinde, dum aliquid non est contra animam aut Regulam, Confessarius id relinquat earum potius voluntati, quam proprio suo judicio quamvis saniori, expedit enim, ut quandoque dissimulet & patiatur, quam ut patiantur illæ, quæ passiones suas nesciunt moderari; non tamen permittat ab ipsis novas fieri ordinationes, dum, v. g. intendunt contra antiquam & receptam consuetudinem ad aliam formam reducere habitum religiosum; quia tales vestium mutationes sæpe mores mutant, & disciplinam corrumpunt.

Quinto. Si Confessarius in authoritate & æstimatione apud Moniales existere, si multa absurda præcavere desideret, alloquia Monialium nullatenus admittat, si id charitatis officium pro

solatio

ſolatio & tranquilitate earum conſcientiæ non poſtulat, ex frequenti enim colloquio creſcit conſuetudo, ex conſuetudine familiaritas, ex familiaritate libertas, & qui prius ad Monialis vocem quaſi erubeſcebat, nunc pudore ſepoſito etiam intueri & arridere non reformidat, & ad liberiora verba, riſum, ac jocos provocare aſſolet.

Sexto. Maxime offendit Confeſſarius, & anſam ſcandali præbet, ſi uni Moniali præ cæteris majori & peculiari affectu externe adhæreat, quia ejuſmodi neceſſitudines cæterarum Monialium animos à Confeſſario avertunt, murmurationibus cauſam præbent, Monaſterium ſuſpicionibus replent, diffidentiam generant, diſciplinam maxime relaxant, aliiſque abſurditatibus viam non raro aperire conſueverunt, quare omnes æquali charitate proſequatur, ut ab omnibus æqualiter, & honeſte diligatur.

Septimo In converſatione, quam rationabilis cauſa facit irreprehenſibilem, Confeſſarius ſemper gravitatem oſtendat, ut ab illis qua Pater ſpiritualis timeatur, amor enim trahet ſubditas

ad obediendum , timor vero earum corda cohibebit , ne amor rationabilis in ſenſualem degeneret ; cum certum ſit, quod ſepoſito illo timore inducatur familiaritas, & ex hac regiminis, ac officii turbatio.

Octavo. Si neceſſitas non urgeat , abſtinendum omnino eſt à commercio literarum, licet id petant Moniales , grande enim malum , inquit S. Aug.,eſt furtiva literarum miſſio, & acceptio, quare *S. Joannes à Capiſtrano* id ſuis inhibuit Fratribus dicens : *Nullus Fratrum meæ curæ commiſſorum audeat vel præſumat literas aliquas deſtinare Moniali, vel aliquas ſibi deſtinatas recipere, niſi priùs legantur à Superiore præſentibus duobus*, gravis ſed juſta hæc eſt prohibitio , ſcivit nempe præfatus Sanctus, quod liberius commercium literarum ejuſcemodi non fiat ad ædificationem ſpiritualem , ſed potius ad deſtructionem, cum Spiritum pietatis extinguat, narrat *S. Hieron. de Sabiniano* Diacono , quod ejus literis tentata quædam Monialis è Monaſterio fugerit.

Nono.

Nono. Oblatio muneris, juxta *Caſſianum*, *eſt tinea regiminis*, quare privata Monialium dona non acceptet Confeſſarius, quia, dum hæc accipiuntur, tanquam falce præſcinduntur diſciplinæ nervi, intepeſcit rigor, & correctionis ſucciduntur germina, ſuccedit ſimulatio, dum offendere non vult illam, cujus beneficiis ligatur, aut à qua majora ſperat, perit inſuper in monendo, conſulendo & corripiendo maxima pars libertatis, quam Monialis credit donorum pretio emiſſe, putans quod Confeſſarius illam vendiderit, ad hæc veretur ipſe, ne monitione ſua, aut correctione alias ſumme neceſſaria elangueſcat manus benefica, & exareſcat donorum fons monitis velut æſtu repreſſus, & quid tandem? propter illum offendendi timorem, & placendi ſtudium non raro improbanda probantur, & probanda reſpuuntur, vitia, ſi non laudantur, ſaltem extenuantur.

Decimo. Quando Confeſſarius videt frequentes acceſſus extraneorum ad Moniales, & ex fundatis indiciis colligit, quod Monialium familiaritatem affectent, vel per ſe, vel per Superioriſſam, aut per ſuperiores majores, talem impro-

bum abusum impedire sedulo studeat, si enim parentibus dixit Spiritus sanctus per Syraciden: *Filiæ tibi sunt, serva corpus illarum*, multo magis Patres spirituales debent animas filiarum servare, ne ad amicitias distrahantur, quæ propter otium non possunt non esse noxiæ per colloquia, Symposia, joca, absentiam à choro, *non hic agitur*, inquit *S. Chrysost. de mariti*, vel Patris terreni, *sed Christi neglectu & contemtu*, qui super hoc negotio zelator erit juxta Apost. *æmulor vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Quomodo igitur Virgines illæ Religiosæ uni Christo adhærebunt? si ejusmodi procorum alloquio & familiaritate illaqueentur. Verbo: frequens ejusmodi extraneorum sive Sæcularium, sive Clericorum, sive Religiosorum accessus est Monialium temporalis sæpe, & æterna ruina.

Undecimo. Quod si Confessarius viderit, Moniales aliquas ex infirmitate muliebri trepidare, dum conscientias suas exponere volunt, aut si cernat earum animos per aversionem aliquam esse abalienatos, non sit difficilis in permittendo aliis, ut suppleant pro arbitrio, sed hoc arbitrium sit circumspectè, ac providè regulatum,

ut

ut paulatim ad ſaniorem mentem reducantur, quæ ex animi infirmitate à communi obſervantiâ abſceſſerunt. Singularizatio importunè petita ſuperbiæ quandam ſuſpicionem cauſat; vel ſuperior, vel ille, qui à ſuperiore facultatem acceperit, hortetur talem Monialem, ut ſe conformet ſororibus.

Duodecimo. Regulares ſeu viri, ſeu fœminæ nullo exemptionis privilegio eximuntur â correctione Ordinarii, ſi extra Monaſterium peccent taliter, ut populo ſcandalum præbeant, ita tamen, ut ſuperior Regularis facto delicti indicio teneatur punire, & Ordinarium informare, an & qualiter puniverit intra tempus ab ordinario præfinitum; ſi Regularis ſuperior monitus id non faciat, ordinarius poteſt ſtatim ipſe punire. Ita poſt Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 3. & Seſſ. 25. de Reg. & Mon. c. 14. Clemens VIII. in Bullâ: *Suſcepti muneris.* fugitivis poteſt ordinarius Brachium ſæculare adhibere, ut reducat ad Monaſterium. Siquam Confeſſarius animadvertat obſtinatam occulte incorrigibilem per monita, obſecrationes, tentatis fruſtra his remediis, ad orationem confugiat, Deum continuo totis præcordiis oret (ait Archiep.

noſter

noster Max. Henricus ult. de Regul.) ut *portam æream* cordis obdurati *conterat*, & *vectem* rebellis voluntatis *confringat*. Pro coronide omnes Confessarii admonentur his Apostoli verbis: *De Cætero Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, hæc agite, & Deus pacis erit vobiscum, & impleat omne desiderium vestrum, cui gloria in sæcula sæculorum.*

Amen.

INSTRUCTIO

BREVIS, ET PRACTICA ASSISTENDI INFIRMIS ET SACRAMENTA ILLIS ADMINISTRANDI.

COnfeſſarius, ſi infirmi cubiculum ingreſſus fuerit, breviter dicat: pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea, mox infirmum, & cubiculum aſpergat aqua benedicta dicens: Aſperges me Domine hyſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor, Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon, Pater noſter &c.

℣. Salvum fac Domine ſervum tuum, vel ancillam tuam.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
℟. Et de Sion tuere eum vel eam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos, & hunc famulum, vel hanc famulam tuam, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat, Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ad excipiendam infirmi confessionem vocatus eum adhortetur, juxta circumstantias ætatis, & vitæ anterioris, & vires tum animi, tum corporis, ac statum e.g. si mortem horreat ob ætatem, & opulentiam, aut quia habet multam prolem, pensitanda proponantur verba Christi: *Vigilate, nescitis quando &c. Quærite primùm regnum Dei, & cætera adjicientur vobis.* Doceatur infirmus abundantem cautelam non nocere in temporalibus, magis hoc curandum in negotio, à quo tota pendet æternitas. Præeat flexis genibus, dum oportunum est, in verba actuum oblationis & virtutum Theologicarum.

Gebeth.

O barmherziger Gott! dir danke ich von Herzen für alle mir verliehene Gnaden, und sonderbar für die unschätzbare Gütigkeit, daß du mir Zeit gestattest, Buß wirken zu können; weil du nicht willst den Tod des Sünders, sondern daß er sich bekehre und lebe, hast du das H. Sacrament der Buße eingesetzet zu Vergebung der Missethaten, ich weiß, durch deine göttliche Einsprechung, daß du auch meine Seel verlangest, darum will ich durch das H. Sacrament der Buße mich dir verbinden, wie du es verordnet hast, damit mein Leiden und alle meine Werke mir nutzbar seynd zum ewigen Lohn, den du versprochen hast. O Vater des Lichtes! erleuchte gnädigst mein Herz, damit ich meine Sünden recht erkenne, dieselbige mit wahrer Reu beichte, solche Buß wirke

ke, wie ich wegen meinem sündigen Leben schuldig bin, durch Jesum Christum unseren Herrn Amen.

Glaub.

O wahrhaftiger Gott! ich glaube alles, was du befohlen hast zu glauben, daß du alles erschaffen hast, alles regierest, alle Engelen und Menschen richten werdest, das Gute zu belohnen, und das Böse zu strafen, auch glaube ich daß die menschliche Seele unsterblich, und deine Gnade dem Menschen nothwendig sey die Seligkeit zu verdienen, fürnehmlich glaube ich die allerheiligste Geheimnißen deiner H. Dreyfaltigkeit und der Menschwerdung deines Sohns, daß du einfach bist in der Natur, dreyfach in Personen, Gott Vater Sohn und heiliger Geist, daß die zweyte Person für uns Mensch worden, am Kreutz gestorben, und das H. Sacrament der Buß zu meinem Heil eingesetzt hat, daß im hochwürdigen Sacrament des Altars Christus Jesus zugegen sey wesentlich mit Leib und Seele, mit Fleisch und Blut, mit Gottheit und Menschheit, ich glaube und bekenne diese und alle Glaubens-Wahrheiten, wie solche uns lehret die heilige römischkatholische Kirch, weil du o ewige unfehlbare Wahrheit! sie geoffenbahret hast! stärke mich o Brunn aller Wahrheit! damit ich in diesem Glauben lebe, und christlich sterbe. Amen.

Hofnung.

O barmherziger Gott und Herr! ich hoffe durch deine unendliche Barmherzigkeit, durch die Verdienste deines Sohns unseres Erlösers

lösers Jesu Christi, Nachlaßung meiner Sünden, deine Gnade, und das ewige Leben, weil du o Gott! mir dieses versprochen hast, wann ich dir diene und gehorsame. Wegen deiner Allmacht kanst du dein Versprechen halten, du willst es auch gern halten, weil du unendlich getreu, und gütig bist, gib mir Gnad dir beständig zu gehorsamen, alsdann werd ich sicher nicht zu schanden werden in Ewigkeit.

Liebe.

O allerschönster, liebwürdigster Gott! nichts ist im Himmel, und auf Erden schön, und lieblich, als von dir, und durch dich allein, darum ist dir nichts an Lieblichkeit zu vergleichen o ewige allervollkommenste Schönheit! aus ganzem Herzen, aus ganzer Seele und allen Kräften meiner Vernunft, und meines schwachen Willen liebe ich dich darum o unbegreiflich schöner Gott! aus dir allein bist du der würdigste, über alles geschätzet, geehret, und geliebet zu werden, in dieser deiner Liebe begehre ich zu leben, und zu sterben. Aus Liebe gegen dich liebe ich auch herzlich meinen Nächsten, auch meine Feinde, ich bin auch bereit, alle deine Gebothe zu halten, dir zu lieb zu sterben, dich zu lieben in alle Ewigkeit.

Reu und Vorsatz.

Aus dieser Liebe zu dir, o Gott! bereue ich von Herzen alle meine Sünden, weil ich dich das höchste unendliche Gut erzürnet, und beleidiget hab, deswegen bereue ich alle meine

Sün-

Sünden, und bitte dich o himmlischer Vater! durch die Verdiensten Jesu Christi deines göttlichen Sohnes, verzeihe mir gütigst alle meine Missethaten, ich nehme mir ganz festiglich vor nimmermehr zu sündigen, auch alle böse Gewohnheiten und Sündgefahren zu meiden, o Gott, stärke mich durch deine Gnade, Amen.

Hisce peractis, & dicto: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, ut debite & competenter confitearis peccata tua, in nomine Patris, & Filii &c, ab infirmo instituitur confessio, quo super videantur illa, quæ in Neo-Confessario de confessione infirmi dicta sunt, & injuncta quadam pœnitentia circumstantiis proportionata, communi forma absolvitur pœnitens, ut tamen sciantur absolutiones generales agonizantibus impertiendæ, hic illas subjicio.*

Forma absolutionis generalis, quæ dari solet in articulo mortis post Sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ unctionis, à Ss. D. N. Benedicto XIV. p. m. approbata est sequens:

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cælum & terram.

Ant. Ne reminiscaris Domine delicta famuli tui, vel ancillæ tuæ, neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleyson &c. Pater noster &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam, & sic deinceps)
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

CLementissime Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem, secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N. quem tibi vera fides, & spes Christiana commendant, visita eum in salutari tuo, & per unigeniti Filii tui passionem, & mortem omnium ei delictorum suorum remissionem & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitûs sui te judicem propitiatum inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab omni macula abluta transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Dein dicto à Ministro *Confiteor Deo omnipotenti* &c. Sacerdos dicit: *Misereatur tui* &c. *Indulgentiam*&c. & subjungit.

Dominus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & restituat tibi stolam primam, quam in baptismo recepisti, & ego facultate mihi ab

Aposto-

Apoſtolica Sede tributa, indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris † &c.

Per ſacroſancta humanæ redemptionis Myſteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna te perducat. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater, & Filius † & Spiritus ſanctus. Amen.

Si infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque confeſſionis generalis faciendæ (id eſt dicendi confiteor) neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim ei Sacerdos benedictionem impertiatur, dicendo: Dominus noſter &c. *vel ego facultate mihi ab apoſtolica Sede* &c.

Forma abſolutionis generalis Religioſis noſtris, Tertiariis etiam ſæcularibus, & Cordigeris in extremis conſtitutis vigore Privilegiorum concedendæ:

Dicto à Miniſtro Confiteor &c. *& à Sacerdote Miſereatur* &c. *& indulgentiam* &c. *ſubjungitur:*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus per merita ſuæ ſacratiſſimæ paſſionis te abſolvat, & gratiam ſuam tibi infundat, & ego authoritate ipſius, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſummorum Pontificum, mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, abſolvo te ab omni vinculo excommunicationis majoris vel minoris, ſi quod in-

incurristi, & restituo te unioni, & participationi fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Item eadem authoritate, quatenus ad præsens forum spectat, ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, tibique relaxo omnes pœnas purgatorii, quas pro peccatis commissis meruisti, concedens tibi remissionem, & indulgentiam plenariam omnium peccatorum tuorum, & restituo te illi statui innocentiæ, in quo eras, quando baptizatus fuisti, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Amen.

Quod si hac vice non discesseris, reservo tibi gratiam usque ad extremum mortis tuæ articulum.

Subjungi potest, si tempus patiatur, pro majori spirituali solatio sequens deprecatio:

DOminus noster Jesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi, atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quæcunque, & quomodocunque in toto vitæ decursu commisisti, de quibus corde contritus, & ore confessus es, restituens tibi stolam primam, quam in baptismate recepisti; & per indulgentiam plenariam à summis Pontificibus, nostratibus in articulo mortis constitutis concessam, liberet te à præsentis, ac futuræ vitæ pœnis, dignetur purgatorii cruciatus remittere, portas inferi claudere, Paradisi januam aperire, teque ad gaudia sempiterna perducere per sacratissima suæ vitæ, passionis, & glorificationis mysteria, qui cum Patre,

&

& Spiritu ſancto Deus unus vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Forma impertiendi generalem abſolutionem moribundis Confratribus & Sororibus Ss. Scapularis B. V. Mariæ de monte Carmelo.

Solent hic permittente tempore præmitti Litaniæ B. V. Mariæ Lauretanæ, poſt quas antiph. ſub tuum præſidium &c. cum ℣. Ora pro nobis ſancta Dei genitrix. ℟. Ut dignus efficiatur promiſſionibus Chriſti. & collecta:

Protege Domine hunc famulum tuum ſubſidiis pacis, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis patrociniis confidentem à cunctis hoſtibus redde ſecurum. Per Chriſtum D. N.

His abſolutis ſurgit Sacerdos, & dicto de more Confiteor, Miſereatur, Indulgentiam &c. *dat hanc abſolutionem generalem.*

DOminus noſter Jeſus Chriſtus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & remittat tibi omnia peccata, quomodocunque per totum vitæ decurſum à te commiſſa; & ego authoritate illius, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, per indulgentiam plenariam à Sede Apoſtolica confratribus Beatæ Mariæ de monte Carmelo in mortis articulo conſtitutis conceſſam, remitto tibi omnem pœnam, pro univerſis delictis tuis in purgatorio tibi debitam:

restituo te illi puritati, quam in baptismo accepisti, & in quantum possum & debeo, declaro te plenariam consequi indulgentiam, & remissionem omnium peccatorum tuorum; si tamen hac vice è vita migraveris, alias eandem tibi reservo pro vero mortis articulo, & sint tibi decedenti ab hoc sæculo clausæ pœnarum portæ, & apertæ januæ Paradisi, in nomine Patris, & Filii † &c.

Dein extendens manum super infirmum hanc addit orationem:

DOminus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat, intra te sit, ut te respiciat, circa te sit, ut te conservet, ante te sit, ut te deducat, post te sit, ut te custodiat, super te sit, ut te bene † dicat, qui in Trinitate perfecta vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Statim subjungit, infirmum aqua lustrali aspergens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & † Filii, & Spiritûs sancti descendat super te, & maneat semper. Amen.

Cum non ubique possint fideles in mortis periculum redacti Sacerdotem ex iis Religiosis ordinibus, quibus per Ecclesiam saluberrima facultas est concessa, præsentem habere, à quo Indulgentias pro articulo mortis petant, Parochis, & qui eorum vice funguntur, Capellanis, aliisve Sacerdotibus per summum Pontificem (ùt suprà) dedit S. Mater Ecclesia illam potestatem, ne in luctâ extremâ hoc solatio spirituali destituantur.

Data

Data infirmo absolutione, & persolutâ cum ipso pœnitentiâ (quæ etsi ob debilitatem brevis esse debeat, molestiùs tamen & difficiliùs persolveretur ab infirmo, si solus orare deberet) sequentem gratiarum actionem Sacerdote in verba præeunte infirmus subjicit:

Danksagung nach der Beicht.

Barmherziger Gott! ich danke dir, daß du mich durch dieses Sacrament der Buß von meinen Sünden jetz, und vor diesem so oft befreyet hast, verzeihe mir gnädigst alle jemahl begangene Fehler, zur Genugthuung opfere ich dir alle von mir verdiente Strafen in Vereinigung mit den unendlichen Verdiensten Jesu Christi, und, wann ich jetz sterben soll, mit seinem Tod. Ich bitte dich durch die kräftige Fürbitt der Mutter Jesu, deiner heiligen Engelen und Gerechten, die dein schönstes Angesicht jetz im Himmel mit Freude sehen, verleihe mir, daß ich in deiner Gnade von dieser Welt abscheide, Amen.

Gute Meynung.

Mein Gott! o Anfang, und Ende aller Dinge! für jetz, und alle Zeiten, opfere ich dir auf alle meine Gedanken, Wort, und Werk zu größerer Glory deiner allerheiligsten Dreyfaltigkeit, der H. Menschheit Christi, seines vollkommensten Lebens, Leidens, und Tods, zu ehren seiner jungfräulichen Mutter Mariä, meines H. Schutzengels, und Patronen, aus freywilliger Gütigkeit hast du mich erschaffen, erlö-

erlöset, geheiliget, willst auch mir geben den schönen Himmel zum Erbtheil. Gib mir Gnade o mein Gott! dich als das höchste Gut zu lieben über alles, und meinen Nächsten wie mich selbst. Stärke mich in den Versuchungen, damit ich in keine Sünd falle Amen.

Hierauf bette: das Vater unser, den englischen Gruß, den Glauben. Ehr sey dem Vater, u. s. w.

Sacerdos matutino tempore infirmum visitans ad pia desideria illum excitet sequenti modo:

Heilsame Morgens-Gedanken.

1. Gott weiß alles, Gott höret alles, Gott siehet alles: so will ich mich dann hüten vor allen bösen Gedanken, Worten und Werken.

2. Gott straffet das Böse, und belohnet das Gute; so will ich ihn fürchten, und lieben.

3. Den rechten Weeg zum Himmel hat Christus am Kreuz gezeigt: so will ich in allem geduldig sein.

4. Vieleicht ist dieser Tag der letzte meines Lebens: so will ich also leben, als wann ich noch heut vor dem göttlichen Richter erscheinen sollte, mein Urtheil für die ganze Ewigkeit anzuhören. O Ewigkeit! O Ewigkeit! ach Gott! sey mir armen Sünder gnädig, und barmherzig. Herr! erhöre mein Gebeth, und meine Seufzer laß zu dir kommen.

Reumü-

Reumüthige Seufzer.

